

H. P. SCHRÖDER.

DISPUTATIO PHILOLOGICA INAUGURALIS

CONTINENS

QUAESTIONES ISOCRATEAS DUAS.

DISPUTATIO PHILOLOGICA INAUGURALIS

CONTINENS

QUAESTIONES ISOCRATEAS DUAS,

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

BERNARDI TER HAAR,
THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE

IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

HENRICUS PETRUS SCHRÖDER,
e pago Vinkeveen.

A. D. XXXI M. MAJI, ANNI MDCCCLIX, HORA II.

Trajecti ad Rhenum.
TYPIS MANDARUNT KEMINK ET FILIUS.
MDCCCLIX.

PARENTIBUS CARISSIMIS.

PRAEFATIO.

Utinam Sternianam mihi festivitatem urbanitatemque, vel saltem Plautini aliquot micas salis benigna parens natura tribuisset! Utinam ex Isocratis assidua lectione hunc mihi cepissem fructum, ut de rebus tritis decantatisque, quales sunt fere quae in prooemio disputationis Academicae ponuntur, nove dicere possem! Eheu, quod benigna illa parens uni copiose et utraque manu largitur, id alteri prorsus denegat. Non mihi joci Plautini, non Sternianus obtigit lepor. Seria sunt et incompta quae os effundere valet. Tantum autem abest, ut Isocrates me περὶ τῶν παλαιῶν καινῶς λέγειν *docuerit, ut admodum verear ne, si centies repetita repetam, haud male in me convenire videatur Aristophaneum illud:*

εἰπεῖν τι τῶν εἰωθότων
ἐφ᾽ οἷς ἀεὶ γελῶσιν οἱ θεώμενοι.

Quodsi tale de prooemio meo sit tuum, quisquis es qui haec inspicies, ornatissime lector!, judicium veren-

dum sane mihi est, ne non, quod cupio, benevolentiam tuam mihi conciliem, sed nihil aliud nisi nauseam tibi faciam taediumque.

Quae cum ita sint, ut his faveas initiis, enixe quidem te rogo, de causis tamen cur id te flagitem, de temporis angustiis, de eligendi argumenti difficultate, de librorum inopia, de ceteris quae in prooemiis poni solent, tacere malo quam insulse et tuo cum taedio exponere.

Sed aliqua hic exoritur difficultas. Est enim vulgo praefationum, quae disputationibus Academicis praefiguntur, bipartita divisio: altera pars ad omnes spectat, quoscunque tua speres lecturos; altera non omnibus scribitur, sed paucis; parentibus gratias agit et praeceptoribus, ut breviter dicam, quae pectus sentit effundit. Quodsi hoc quoque προοιμιαζομένου *detractem officium, vereor ne ingrati animi culpam mihi contraham. Sin autem ad consuetudinem et veterem hunc morem me accommodavero, valde dubium est num iis, quorum in honorem scripserim, mea sim probaturus. Parentes enim mei sunt antiquis moribus homines, i. e. simplicitatem amant et sinceritatem, ridiculam esse ostentationem, denique quidquid ex more facias nihil aliud probare existimant, nisi te ad aliorum te composuisse imitationem. Quodni haec ita essent, hos mihi, qualemcunque vitae jam actae partem memoria perlustrem, animo obversari, publice profiterer; hos mihi infantiae custodes fuisse optimos, hos puerum me juvenemque eodem semper amore, eadem cura prosecutos esse, hos consiliis mihi monitisque et semper adfuisse et nunc etiam adesse, quanta cum mea voluptate memorarem! Adderem, ad cetera patris optimi beneficia tamquam cumulum hoc accessisse, quod, quamvis multis*

—

aliis negotiis esset distentus, tamen institutioni meae tam diligenter operam dederit, ut huic uni omnia paene, quae ceteri multis diversarum artium magistris, accepta referam. Sed vereor ne, si ejusmodi publicam gratiarum actionem legerit, subridens: „Nae tu, dicat, optime de „nobis existimas; celerum nec opus fuit nos pro con-„cione laudari, Graecis talia relinquenda sunt et Roma-„nis, nec tibi quamvis pulcre laudanti, fidem habere-„mus, ni grato te esse animo et pium te praestare in „parentes, quantum possis, studere, nobis persuasum es-„set." Haec si pater mecum loquatur, quid respondeam? Dicat benevolus aliquis lector: „Quum sic se res habeat, hanc quoque praefationis partem tollendam censeo, qua omissa nihil jam aliud restat, nisi ut ad doctissimos praeceptores, Viros clarissimos, quorum disciplina in Academia Rheno-trajectina usus es, oratio se tua convertat." Quasi vero illis dari par sit, quod parentes datum se accepturos negent! Aut quasi laudari se cupiant, in quos laudis et gloriae satis superque confert ipsa juventutem florentem, spem patriae, instituendi provincia iis credita! Atque equidem, ni existimarem his quoque displicere publicas gratiarum actiones, omnibus gratias agerem Viris Cl., quorum lectionibus interfui, qui consiliis mihi adfuerunt, quorum plurima omnis generis in me esse beneficia gratus recordor. Omnium autem optime V. Cl. KARSTEN *de me esse meritum, maximis et plurimis benevolentiae, liberalitatis, amicitiae documentis me sibi in perpetuum habere devinctum, hoc duce et auspice a carceribus me decurrisse ad calcem, nunc etiam, quamquam de talibus tacere decretum est, facere vix possum, quin palam hoc loco profitear.*

—

Verum satis jam apparuit, ornatissime lector!, quocunque me vertam, vocem mihi praecludi metu. Tu ne mihi succensueris, quod inani te luserim specie, quum praefationem hoc consilio scripsisse videar, ut me praefationem scribere non posse demonstrarem. Voluisse quidem constat, in magnis autem voluisse sat est.

QUAESTIO PRIOR.

SOCRATES SITNE IN ISOCRATIS PRAECEPTORIBUS NUMERANDUS.

Apud eos, qui antiquitus Isocratis vitam enarrarunt, in eius praeceptorum numerum praeter alios etiam Socratem relatum esse legimus [1]). Quod quo jure factum sit, inquirere lubet.

Socratis disciplina usum esse Isocratem, e recentioribus affirmant alii, alii negant. Affirmant Benselerus, Sauppius, Rauchenstenius. Benselerus ad sententiam suam firmandam tria Xenophontei Socratis dicta attulit quae cum totidem Isocratis enunciatis pulcre concinerent [2]). Sauppius quae Socrates de virtute disputavisset, quum ab Isocrate audita essent nec tamen probe intellecta, Socratis de virtute sententiam ab

1) Vid. Anonymi Vita Isocratis. Cf. Pseudo-plutarchi Vita Isocratis.

2) Isocrates' Werke übersetzt und erläutert von G. E. Benseler. Einl. p. 23.

Isocrate ad vulgarem utilitatis rationem revocatam esse contendit [1]). Quae quum dixerit, mihi quidem rem acu tetigisse videtur, quod infra data opera demonstrare conabor. Rauchenstenius denique e quibusdam dictis, quae tamen non commemorat, item e verborum quorundam usu idem effici posse existimat. Verbis enim hisce, δόξα, ἐπιστήμη, ἰδέαι, Isocratem eodem quo Socratem modo uti atque easdem notiones iis subjicere [2]). Quocum ita facio, ut ἰδέα sitne Socraticum verbum an Platonicum me nescire fatear.

Diversa ab his et plane contraria statuunt qui omnino Isocratem Socratis, ut quem odio haberet, disciplina usum esse negant, in his nostrates Cobetus et Halbertsma. Alter de prooemio Isocratis Busiridis disputans, „Quam ignorabat, inquit, Socratis animum et ingenium lividus rhetor qui haec scripsit, tam admirator sui quam Socratis et Platonis et Socraticorum omnium osor et contemtor [3])." Hoc viri clarissimi judicium facile mihi persuasisset ut frustra operam insumpturum putarem si quis hunc ex osore familiarem et amicum Socratis reddere vellet, nisi cum illa legerem jam manum operi admovissem. Nunc doleo quod mihi non contigit quibus argumentis ille in hanc sententiam sit adductus cognoscere; probare tamen conatus sum Isocratem tantum afuisse ut Socratem contemneret et odisset, ut ejus disciplina usus esse putandus sit.

Vir doct. Halbertsma sententiam suam his fere verbis

---

1) Zeitschrift für Alterthumsw. 1835, p. 404.

2) Des Isocrates Panegyricus u. Areopagit erklaerticus von Dr. Rauchenstein. Einleitung p. 6.

3) Mnemosyne. Vol. VII. Pars III, p. 254.

exponit. „Isocrates qui audivit Gorgiam, Prodicum, Tisiam, non potuit diligere Socratem, a cujus disciplina prorsus alienus erat; Socraticos saltem pessime oderat, ut de Antisthene et Platone constat" [1]). Itaque argumentorum ejus conclusio haec est: „Qui audivit illos sophistas, non potuit diligere Socratem; qui odio habuit Socraticos, alienus fuit a Socratis disciplina." Quod ad prius horum attinet, Socratem Sophistis invisum fuisse quis neget? Nam praeterquam quod ut multorum aliorum ita illorum quoque errores, ignorantiam stultitiamque confutabat, Sophistis etiam alia accessit offensionis et inimicitiarum causa. Socrates *οὐδένα μισθὸν ἐπράττετο τῆς συνουσίας*, et parum honorifice de iis, qui sapientiam quaestui haberent, loqui solebat [2]). Quicumque eum audiendi cupidus esset, comitari obambulantem, vel in foro, in tabernis aliisve locis sermocinanti atque interroganti adesse poterat. Qua quidem re quantopere adolescentes delectarentur, ipse narrat in Apologia Platonis [3]). Ob has igitur causas Sophistis, cum praesertim plures iis subduceret discipulos, non in odio esse non potuit. At neque Isocrates neque alius quisquam illis ita erat deditus et addictus, ut impedire potuissent quominus Socratem adiret eumque comitaretur, et de bono, de virtute, de arte rhetorica vel imperatoria, de ipsis adeo Sophistis eorumque meretricia arte vel ipse eum eo colloqueretur vel disputantem cum aliis audiret [4]).

---

1) Quaestiones Isocrateae in Mnemosyne. 1855 p. 218 sqq.

2) Xenoph. Mecr. I: 6. 13.

3) Apol. Socr. 23. C.

4) Contra quam Halbertsma statuit, disseruit Pfundius (De

Quod ad alterum quo Halbertsma utitur argumentum attinet, id ita convertere licet ut dicam: qui Socratis discipulus fuisset, ipse Socraticus, fieri tamen potuit ut alios Socraticos pessime odisset: quod in tanta discipulorum, qui post praeceptoris mortem philosophiam professi sunt, dissensione et discrepantia opinionum ne mirandum quidem esset.

Si ergo Isocrates potuit esse Socratis discipulus, fueritne quaeritur. Proditum est Isocratem, nuntiata ei morte Socratis, non mediocriter afflictum fuisse et postridie in publicum prodiisse atra veste indutum [1]). Est sane cur hanc narrationem ad nugacium hominum commenta ablegandam esse judicemus. Fortis erat hominis et audacis palam eum lugare quem judices ob corruptos adolescentium mores et ob violatam religionem capitis damnassent; timidi autem animi se fuisse idque magnopere dolere ipse Isocrates saepius significat. Quare luctum illum supra verum auctum esse opinor atque ejusmodi fabellae fingendae ansam praebuisse ea quae de consuetudine aliqua, quae Isocrati cum Socrate intercessisset, ab aequalibus essent prodita.

Alicujus momenti ad probandum id de quo agimus, sunt ea quae Socratem facit loquentem Plato in Phaedro [2]).

Isocratis vita et scriptis p. 10), qui seriore demum tempore Isocratem Gorgiae asseclam factum esse contendit, hanc ob causam, quod ante laudes illas Isocrati in Phaedro a Socrate datas vix Gorgiae discipulus esse potuerit. Itaque existimat Isocratem post mortem demum Socratis in Thessaliam abiisse. — Refellit hunc Sauppius l. l. p. 408.

1) Pseudo-plutarchus in Vita Isocratis.

2) 278 E — 279 A.

„Adolescens etiam nunc, inquit, o Phaedre, Isocrates est, sed quid de illo augurer, lubet dicere. Majore mihi ingenio videtur esse quam ut cum orationibus Lysiae comparetur; praeterea ad virtutem major indoles, ut minime mirum futurum sit si, cum aetate processerit, aut in hoc orationum genere cui nunc studet tantum, quantum pueris, reliquis praestet omnibus qui umquam orationes attigerunt, aut, si contentus his non fuerit, divino aliquo animi motu majora concupiscat. Inest enim natura philosophia in hujus viri mente quaedam" [1]). Quo animo in Isocratem, cum haec scriberet, fuerit Plato, ambigitur a doctis. Bakius [2]) et Geelius [3]) Platonem consulto, ut Isocratem perstringeret, addidisse haec verba putant: *ἔτι τε εἰ αὐτῷ μὴ ἀποχρήσαι ταῦτα, ἐπὶ μείζω δέ τις αὐτὸν ἄγοι ὁρμὴ θειοτέρα.* Significari enim, Isocratem non tenere iter illud quo veram eloquentiae et eruditionis laudem assequi posset. At Stallbaumio [4]) aliisque nulla ex parte vera videntur esse quae de simultate Platonem inter et Isocratem orta memorantur. Denique Spengelius [5]) Platonem haec scripsisse arbitratur quum praeclara ei de Isocrate adolescente augurari liceret, posteriore autem tempore vidisse quam se fefellisset exspectatio. Quaestio judicatu difficilis, quae cum altera, de tempore quo Phaedrum composuerit Plato, arcte

---

1) Cic. Or. 41.

2) Schol. Hypomn. Vol. III. p. 45.

3) De Stesichori Palinodia in Rheinisch Museum. 1839, p. 9.

4) De primordiis Phaedri Platonis p. 40.

5) Isokrates und Plato p. 39, 40.

cohaeret. Nobis quid de hoc statuendum videatur, alio loco erit dicendum. Adolescentem autem, cujus ingenium sibi perspectum esse significat Socrates et de quo tam praeclara auguratur, non incognitum certe neque alienum ei fuisse, jam nunc e Platonis verbis probabiliter conjici posse arbitror.

Socratis nomen semel tantum in Isocratis scriptis, quae aetatem tulerunt, memoratur [1]). Nempe Sophistam quemdam, Polycratem, perstringit non quod *κατηγορίαν Σωκράτους* scripserit, sed quod male et inepte Socratem accusaverit. Quum enim aliud sit laudare, aliud accusare, stulte fecisse dicit Polycratem qui laudaret quem accusare voluerit, quippe qui, *ὥσπερ ἐγκωμιάσαι βουλόμενος*, Alcibiadem Socratis fecerit discipulum: neque enim quemquam scire hunc a Socrate eruditum esse, omnes autem fateri eum longe ceteris antecelluisse. „Quodsi, inquit, Socrates mortuus de Polycratis accusatione suum interponere judicium posset, Polycrati accusatori majores gratias ageret quam eorum cuiquam qui illum laudare solent.“ Jure quis dubitet num Socrates Polycrati propterea gratias acturus fuisset: quare concedatur, Isocratem quali fuerit ingenio Socrates aut parum curasse aut non intellexisse. Amplius vero quid ex ejus verbis effici non poterit. Nam Xenophontem quoque non satis intellexisse, quo Socratis de virtute et beatitudine placita spectarent, mox demonstrare conabor; nec tamen ideo quisquam dubitaverit quin is germanus fuerit Socratis discipulus. Isocrates autem quum exagitat Polycratem, rhetor rhetorem exagitat qui male

---

1) Or. XI. 4 sqq.

munere functus sit; ipsum autem illud munus sitne turpe an honestum, nunc quidem ejus non refert. Quae cum ita sint, ne ea quidem quae de Socrate ipse Isocrates dixit, ad controversiam dirimendam valent.

Sed omissis aliorum testimoniis ipsa hominis scripta, testes sane satis locupletes, adhibeamus. In quae si te insinuaris recens a lectione Xenophontis libri quem de Socrate scripsit, fieri non potest quin multa animadvertas similia, multa etiam paullum immutata, quae comparandi opportunitatem identidem offerant.

Socrates, dicit Xenophon, *φανερὸς ἦν τῶν συνόντων τοὺς πονηρὰς ἐπιθυμίας ἔχοντας τούτων μὲν παύων, τῆς δὲ καλλίστης καὶ μεγαλοπρεπεστάτης ἀρετῆς, ᾗ πόλεις τε καὶ οἶκοι εὖ οἰκοῦσι, προτρέπων ἐπιθυμεῖν* [1]. De Aeschine Socratico haec sunt verba Lysiae: *οἰόμενος τουτονὶ Σωκράτους γενόμενον* (sic emend. Cobet vulg. *γεγονέναι*) *μαθητὴν καὶ περὶ δικαιοσύνης καὶ ἀρετῆς πολλοὺς καὶ σεμνοὺς λέγοντα λόγους οὐκ ἄν ποτε ἐπιχειρῆσαι οὐδὲ τολμῆσαι ἅπερ οἱ πονηρότατοι καὶ ἀδικώτατοι ἄνθρωποι ἐπιχειροῦσι πράττειν* [2]. Apparet, ex Lysiae sententia virtutis laudationem tam arcte cum Socratis disciplina conjunctam esse, ut qui Socratis fuerit discipulus, consequens sit ut idem de justitia ac virtute habeat *πολλοὺς καὶ σεμνοὺς λόγους*. Lysiae hanc sententiam ita convertere mihi liceat ut dicam: Isocrates de virtute multa et praeclara dixit,

---

1) Mem. I, 2. 64 Cf. I, 2. 48. Iisdem fere verbis usus est Isocrates XV. 285.

2) Ex oratione **πρὸς Αἰσχίνην τὸν Σωκρατικόν** apud Athen. p. 611. E. Cf. Mnemosyne, Vol. VII. P. III. p. 255. — Fragmenta Orr. Att. ed. H. Sauppius. p. 170 sqq.

fuit ergo discipulus Socratis. Legatur ejus suasio quae Areopagitica inscribitur, legatur oratio quam de Pace scripsit: apparebit quam omnis spes salutis et felicitatis Isocrati in virtute posita esse videatur, et quantopere cives suos ad virtutem et temperantiam (ἀρετὴν καὶ σωφροσύνην) colendam hortatus sit.

Cur virtus et honestas Socrati expetendae viderentur, narrat Xenophon his verbis: τοὺς γὰρ τοιούτους ἡγεῖτο παιδευθέντας οὐκ ἂν μόνον αὐτούς τε εὐδαίμονας εἶναι καὶ τοὺς ἑαυτῶν οἴκους καλῶς οἰκεῖν ἀλλὰ καὶ ἄλλους ἀνθρώπους καὶ πόλεις δύνασθαι εὐδαίμονας ποιῆσαι [1]). Et alio loco: καὶ οὕτως ἐπισκοπῶν, τίς εἴη ἀγαθοῦ ἡγεμόνος ἀρετή, τὰ μὲν ἄλλα περιῄρει, κατέλειπε δὲ τὸ εὐδαίμονας ποιεῖν ὧν ἂν ἡγῆται [2]). Virtus igitur homines reddit beatos. Jam vero quum beatitudo sit ἀγαθόν, ἀγαθὸν idem quod ὠφέλιμον [3]), sequitur ut virtus propter utilitatem expetenda sit. Age, Isocratem testem his adhibeamus: εἰ μέν τις ὑπολαμβάνει τοὺς ἀποστεροῦντας ἢ παραλογιζομένους ἢ κακόν τι ποιοῦντας πλεονεκτεῖν, οὐκ ὀρθῶς ἔγνωκεν· οὐδένες γὰρ ἐν ἅπαντι τῷ βίῳ μᾶλλον ἐλαττοῦνται τῶν τοιούτων οὐδ' ἐν πλείοσιν ἀπορίαις εἰσὶν οὐδ' ἐπονειδιστότερον ζῶσιν οὐδ' ὅλως ἀθλιώτεροι τυγχάνουσιν ὄντες· χρὴ δὲ καὶ νῦν πλέον ἔχειν ἡγεῖσθαι καὶ πλεονεκτήσειν νομίζειν παρὰ μὲν τῶν θεῶν τοὺς εὐσεβεστάτους καὶ τοὺς περὶ τὴν θεραπείαν τὴν ἐκείνων ἐπιμελεστάτους ὄντας, παρὰ δὲ τῶν ἀνθρώπων τοὺς ἄριστα πρὸς τούτους μεθ' ὧν ἂν οἰκῶσι καὶ πολιτεύωνται διακειμένους καὶ τοὺς βελτίστους

---

1) Mem. IV. 1, 2.
2) Mem. III. 2, 4.
3) Mem. IV. 6, 8.

αὐτοὺς εἶναι δοκοῦντας[1]. Quodsi non semper res ita se habet, attamen plerumque probi homines iidem sunt beati: *χρὴ δὲ τοὺς εὖ φρονοῦντας, ἐπειδὴ τὸ μέλλον ἀεὶ συνοίσειν οὐ καθορῶμεν, τὸ πολλάκις ὠφελοῦν, — τοῦτο φαίνεσθαι προαιρουμένους*[2]. Perspicue haec dicta sunt neque lucem desiderant. Qui divitem se esse cupit, qui potentem, qui felicem, qui bonis suis in perpetuum vult frui, is sola confidat virtute, quacum omnia bona non animi solum sed corporis etiam et fortunae sunt conjuncta. Quod si quem spes fallit, ut, quamvis omni virtute praeditus sit, tamen rebus affligatur adversis, „solatium est miseris socios habuisse malorum": etenim *οὐ κατὰ πάντων οὕτως εἴθισται συμβαίνειν.*

Virtutem propter utilitatem, i. e. propter beatitudinem quae eam consequatur, expetendam esse docuerat Socrates. Attamen vereor ne Isocrates ad ea quae a Socrate haud dubie accepisset, nonnulla de suo addiderit vel quae praeceptor dixisset, detorserit aut ne intellexerit quidem. Licet enim Xenophon speciem illam beatitudinis, quae Platone teste[3]) Socratis animo obversabatur, non adumbrarit, tamen ne Xenophonteo quidem Socrati in fortunae aut corporis bonis beatitudo consistere videtur. Audiamus ipsum sermocinantem: *κινδυνεύει, ἔφη, ὦ Σώκρατες, ἀναμφιλογώτατον ἀγαθὸν εἶναι τὸ εὐδαιμονεῖν. Εἴ γε μή τις αὐτό, ἔφη, ὦ Εὐθύδημε, ἐξ*

---

1) Or. XV. 281. Cfr. II. 20. III. 2. 30. VI. 36. 59. VIII. 17. 33. 34. 35.

2) Or. VIII. 35.

3) Gorg. 506 C. sqq.

ἀμφιλόγων ἀγαθῶν συντιθείη. Τί δ' ἄν, ἔφη, τῶν εὐδαιμονικῶν ἀμφίλογον εἴη; Οὐδέν, ἔφη, εἴ γε μὴ προσθήσομεν αὐτῷ κάλλος ἢ ἰσχὺν ἢ πλοῦτον ἢ δόξαν ἢ καί τι ἄλλο τῶν τοιούτων. Ἀλλὰ νὴ Δία προσθήσομεν, ἔφη· πῶς γὰρ ἄν τις ἄνευ τούτων εὐδαιμονοίη; Νὴ Δί', ἔφη, προσθήσομεν ἄρα ἐξ ὧν πολλὰ καὶ χαλεπὰ συμβαίνει τοῖς ἀνθρώποις· πολλοὶ μὲν γὰρ διὰ τὸ κάλλος ὑπὸ τῶν ἐπὶ τοῖς ὡραίοις παρακεκινηκότων διαφθείρονται, πολλοὶ δὲ διὰ τὴν ἰσχὺν μείζοσιν ἔργοις ἐπιχειροῦντες οὐ μικροῖς κακοῖς περιπίπτουσι, πολλοὶ δὲ διὰ τὸν πλοῦτον διαθρυπτόμενοί τε καὶ ἐπιβουλευόμενοι ἀπόλλυνται, πολλοὶ δὲ διὰ δόξαν καὶ πολιτικὴν δύναμιν μεγάλα κακὰ πεπόνθασιν [1]). Quodsi neque pulchritudo neque corporis robur neque divitiae neque gloria beatos reddunt homines, beatitudo neque in corporis neque in externis bonis consistat necesse est. Attamen virtutis haec erat utilitas ut beatos redderet: unde necessario sequitur ut aliis i. e. animi bonis qui virtutem colat, fruatur. Quam Socratis sententiam quum non satis perspiceret homo quidam ex eo quaesivisse fertur: Quid omnium dignissimum esse in quo quis elaboraret, ipsi videretur [2])? Respondisse eum: τὴν εὐπραξίαν. Quod quum parum iste intelligeret, τὴν εὐπραξίαν, i. e. fortunam secundam, ἐπιτήδευμα a Socrate vocari, rogavit putaretne τὴν εὐτυχίαν quoque, ejusdem rei alterum vocabulum, esse ἐπιτήδευμα. At ille, memor eorum quae de verborum potestatibus Prodicus docuerat: πᾶν μὲν οὖν τοὐναντίον ἔγωγε τυχὴν καὶ πρᾶξιν ἡγοῦμαι·

---

1) Mem. IV. 2, 34.

2) Mem. III. 9, 14. τί δοκοίη αὐτῷ κράτιστον ἀνδρὶ ἐπιτήδευμα εἶναι.

τὸ μὲν γὰρ μὴ ζητοῦντα ἐπιτυχεῖν τινι τῶν δεόντων εὐτυχίαν οἶμαι εἶναι, τὸ δὲ μαθόντα τε καὶ μελετήσαντά τι εὖ ποιεῖν εὐπραξίαν νομίζω καὶ οἱ τοῦτο ἐπιτηδεύοντες δοκοῦσί μοι εὖ πράττειν. Apparet interrogantem ludere Socratem ambiguitate vocis εὖ πράττειν, cui vim *recte agendi* subjicit, quum ex vulgari loquendi consuetudine εὐπραξία sit *secunda fortuna*, εὖ πράττειν *secunda fortuna uti*. Addit autem, quum τυχὴ et πρᾶξις diversa sint, etiam εὐτυχίαν et εὐπραξίαν diversas habere notiones. Facetius sane quam verius! Sed ludendi consilium hoc nimirum fuit, ut ostenderet fieri posse ut recte ageret quis nec tamen secunda uteretur fortuna: quare et spem secundae fortunae ab omni vitae actione sejungendam esse nec duas illas notiones uno eodemque verbo exprimi oportere.

Apparet Socratem non solum a beatitudine sed ab omni vitae instituto atque actione τὴν εὐτυχίαν, externa fortunae et corporis bona, sejunxisse: unde quid consequatur, nunc quidem nemo est qui non videat. At neque Xenophon neque Isocrates intellexisse videntur quorsum Socratis tenderent placita. Alter, ut praeceptorem a calumniis defenderet, literis mandavit quaecumque ab ipso Socrate accepta memoria teneret. Virtutem beatos reddere homines dixerat Socrates. Dixerat idem beatudinem non in corporis bonis externisve rebus consistere. Haec Xenophonti opus suum conscribenti in memoria haerebant. Itaque oblata occasione ex eo discimus quae Socrati *non* pertinere ad beatitudinem viderentur. Jam si varias sententiae Socraticae partes in unum conferre voluisset, vidisset unam praecipuamque deesse: nimirum animadvertendum

fuisse qualis esset beatitudo illa quam a fortuna Socrates sejunxisset. Sed quominus ejusmodi quid adderet, obstabant et operis consilium et scriptoris ingenium. Ad ea quae a Socrate acceperat de suo quidquam adjicere noluit. Quodsi narranti ei quae cum Euthydemo Socrates sermocinatus esset, in mentem venisset alius sermonis quem de *vera* beatudine Socrates instituisset, religio ei fuisset silentio praetermittere quae disputavisset magister. Nunc autem de re silet, quam a Socrate in disceptationem vel disputationem vocatam esse non recordatur. Praeterea Xenophon, quo erat ingenio, ad cernenda consequentia non valebat. Erat homo pius, modestus, ceterum non magni animi; virtutem coluisset etiamsi Socratem numquam audivisset. Diligebat atque admirabatur illum; quia semper ad virtutem homines hortabatur. Ceterum si philosophus habendus est qui non doctrinae alicujus singulas partes memoria complectatur, sed in eam se totum insinuet eamque penitus perspiciat, haec si in philosophum cadunt, Xenophon nequaquam habendus est philosophus. Non est igitur quod miremur eum omisisse id quod Plato tractavit in Gorgia, ut qualis esset beatitudo illa, quae virtutem semper consequeretur, ostenderet.

Monere hic velut in transitu liceat, Xenophontem tanto esse fide digniorem quanto minor esset ejus ad philosophiam indoles. Nec emendavit nec addidit quidquam, dedit quae acceperat. Quodsi Polycratis *κατηγορίᾳ Σωκράτους* librum suum opposuisse putandus est [1],

---

1) Rem ita se habere, probasse mihi quidem videtur Cl. Cobet, Mnem. Vol. VII. P. III. p. 254 sqq.

tamen fidem vel maximam habendam existimo scriptori qui nec decipere voluerit nec nova fingere potuerit.

Xenophon igitur quum parum curaret, quid esset consequens, in medio velut itinere substitisse nec intellexisse, quis esset finis quo praeceptoris placita tenderent, videtur. Paullo longius progressus est Isocrates. Hic enim quae non intellexit, immutavit atque detorsit. Docuerat eum Socrates, virtutem solam beatos reddere homines. Itaque ad virtutem qualibet occasione hortatur Athenienses. Docuerat idem, id quod arcte cum illa de beatitudine sententia cohaerebat, quum bonum, i. e. virtus, idem quod utile esset, virtutem propter utilitatem colendam esse. Erat hoc specie quidem facile, revera autem difficillimum intellectu. Hanc enim esse beatitudinem, quae non ἐξ ἀμφιλόγων ἀγαθῶν composita sit, quae non consistat in externis vel corporis bonis, quae εὐτυχίαν spernat, cui virtus, etiamsi in equuleum imponatur, multo optabilior res esse videatur quam injusti tyranni licentia, cui mens sibi conscia recti ceteris bonis omnibus longe praestare videatur ac sola, etiamsi reliqua desint, beatos reddere homines: haec nos optime intelligimus, sed Isocrati multisque ejus aequalium vereor ne obscuriora visa sint quam ut Socratem, ad beatitudinem eos ducentem quae ne esse quidem beatitudo videretur, sequi vellent aut possent. Huc accedit quod Socrates quae docuit, non mandavit literis: unde fieri non potuit quin multi errores nascerentur eorum qui, quae aut omnino non intellexissent aut perperam percepissent, detorquerent. Eandem ob causam magna erat licentia commutandi aut rejiciendi quae non placerent. Quoquo

autem modo se res habet, hoc quidem apparet, Socratem et Isocratem, quum de virtute et de utilitate virtutis, de beatitudine quae virtutem consequeretur, inter se congruerent, in hoc a se invicem discessisse quod Socrates a beatitudine fortunam sejungeret, Isocrates vulgarem hominum proborum tueretur opinionem: Dis hominibusque caros esse omnibusque bonis ab iis cumulari qui ad virtutis normam vitam dirigerent, quare in virtute omnia esse posita. Ad virtutem ut incitaret, *enumeratione simplici*, quam dicunt, usus est, quae quam parum valeat ad probandum cum virtute beatitudinem esse conjunctam, ipse significavit additis verbis: *καὶ ταῦτ' εἰ μὴ κατὰ πάντων οὕτως εἴθισται συμβαίνειν, ἀλλὰ τό γ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῦτον γίγνεται τὸν τρόπον* [1]). Sed necesse erat ad simplicem enumerationem confugeret qui fortunae permitteret hominum beatitudinem. Ceterum satis jam de beatitudine dictum videtur; ad alia transeat disputatio.

In easdem quas Socrates partes virtutem distribuit Isocrates in ea oratione qua Euagoram omnibus corporis animique dotibus exornavit [2]). Unde apparet Theseum [3]), Agamemnonem [4]), alios, si qui ab Isocrate celebrati sint, qui ut Euagoras non una atque altera virtute, sed „omnibus quas nominare queas," *οὐ μετρίως ἀλλ' ὑπερβαλλόντως*

1) VIII. 35.

2) IX. 22, 23. Aliis locis (VIII. passim) conjuncta deprehenduntur *ἀρετὴ* et *σωφροσύνη* sed consulto hoc *σωφροσύνη* ad *ἀρετὴν* additur quum ad illam *τῆς ἀρετῆς* partem tota spectet ejus oratio.

3) X. 21.

4) XII. 72.

praediti fuissent, hos igitur ut Euagoram quatuor illis Socraticis virtutibus insignes fuisse perspicuum est!

Jam si qua ratione virtuti studendum sit, ex utroque quaesiverimus, asseverabit Socrates, *καὶ τὴν δικαιοσύνην καὶ τὴν ἄλλην πᾶσαν ἀρετὴν σοφίαν εἶναι* [1]. Omnem enim virtutem esse *διδακτόν* [2]. At Isocrates: Sunt qui sibi valde placeant *ἣν ὑπόθεσιν ἄτοπον καὶ παράδοξον ποιησάμενοι περὶ ταύτης ἀνεκτῶς εἰπεῖν δυνηθῶσι καὶ καταγεγηράκασιν οἱ μὲν —, οἱ δὲ διεξιόντες ὡς ἀνδρία καὶ σοφία καὶ δικαιοσύνη ταὐτόν ἐστι καὶ φύσει μὲν οὐδὲν αὐτῶν ἔχομεν, μία δ' ἐπιστήμη καθ' ἁπάντων ἐστίν* [3]. Dicat quis: Qui talia scripsit, numquam Socratis fuit discipulus: qui enim fieri potuit ut Socratis disciplina usus esset qui mendacium amentiamque ei objecerit." Recte sane, si modo sibi constitisset Socrates, quod non fecit [4]. Posito enim hoc, virtutem esse sapientiam vel potius scientiam [5], sequitur ut quae bona vel pulcra esse cognorit, faciat, quae mala vel turpia, rejiciat [6] is qui sola scientia utatur duce. Nil refert autem sitne bona an mala ejus ad virtutem indoles. Neque vero opus est ut in virtute se tanquam in arte aliqua exerceat. Nam si statuitur indolem vel minimi ad virtutem momenti esse, possit quis tam mala ad virtutem esse indole ut rejiciat quae bona et pulcra esse compertum habeat. Itaque sapientia non erit virtus.

1) Mem. III. 9, 5.
2) Mem. III. 9. 1. sqq.
3) X. 1.
4) Cf. Grotei Hist. of Gr. VIII. p. 462.
5) Memor. III. 9, 4.
6) Ibid. 5.

Atque si verum est, exercitatione adhibita quae antea factu difficilia essent facilia reddi et parvo labore effici, necesse est, qui plurimum se exercuerit, eum facillime ea facere quae bona et honesta esse cognorit. Rursus qui inexercitatus atque rudis adhuc sit, quum non calleat artem ea quae bona et honesta esse cognorit faciendi, recte facere aut omnino non posse aut non nisi magno cum labore, manifestum est. Itaque virtus non erit sapientia, sed ad sapientiam accedat exercitatio tamquam cumulus necesse est.

Si vera sunt quae disputavi, non constitit sibi Socrates, qui praeter sapientiam indolem quoque et exercitationem multum ad virtutem valere docuerit. Quum enim ex eo quaereretur, fortitudo essetne διδακτὸν ἢ φυσικόν, respondit: ψυχὴν ψυχῆς ἐρρωμενεστέραν πρὸς τὰ δεινὰ φύσει γίγνεσθαι· ὁρῶ γὰρ ἐν τοῖς αὐτοῖς νόμοις τε καὶ ἔθεσι τρεφομένους πολὺ διαφέροντας ἀλλήλων τόλμῃ· νομίζω μέντοι πᾶσαν φύσιν μαθήσει καὶ μελέτῃ πρὸς ἀρετὴν αὔξεσθαι [1]). Et paulo post: ὁρῶ δ' ἔγωγε καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων ὁμοίως καὶ φύσει διαφέροντας ἀλλήλων τοὺς ἀνθρώπους καὶ ἐπιμελείᾳ πολὺ ἐπιδιδόντας [2]). Denique: ὅσαι δ' ἐν ἀνθρώποις ἀρεταὶ λέγονται, σκοπούμενος εὑρήσεις πάσας μαθήσει τε καὶ μελέτῃ αὐξανομένας [3]). Quid quod in omni illo sermone quo eum cum Aristippo disserentem facit Xenophon, sapientiae vel scientiae nulla fit mentio [4])? Immo testis adhibetur Hesiodus, virorum bonorum

1) Mem. III. 9, 1.

2) Ibid. III. 9, 3.

3) Ibid. II. 6, 39.

4) Ibid. II. 1.

unus [1]), cujus notos versus:

τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν —

in suum convertit usum, nimirum ut ostendat in exercenda virtute laborem et contentionem adhibenda esse.

Tria igitur sunt ex Socratis sententia ei qui in virtutis quasi fastigium escendere volet necessaria: *φύσις, μάθησις, μελέτη*. Jam illud perspicuum est, Isocratem, quum eos exagitat qui homini nihil a natura ad virtutem tributum esse contenderent, aliis, non Socrati, qui magni fecit *τὴν φύσιν*, hunc infringere voluisse colaphum. At constitit sibi ac *φύσιν* neglexit qui in dialogo Protagora virtutem esse *ἐπιστήμην*, atque unam virtutem qui haberet, eum omnes habere probare conatus est, germanus Socratis discipulus, Plato. Quare hunc significatum esse ab Isocrate, non est quod dubitemus. Ceterum fusius hanc rem inquirendi alio fortasse loco offeretur occasio. Nunc explorare tempus est, quam viam Isocrates ei qui ad virtutem tendat, ingrediendum putet.

Ne in hac quidem causa desunt quae testimonii loco adhibeantur ipsius verba: *λέγομεν γάρ*, inquit, *ὡς δεῖ τοὺς μέλλοντας διοίσειν ἢ περὶ τοὺς λόγους ἢ περὶ τὰς πράξεις ἢ περὶ τὰς ἄλλας ἐργασίας, πρῶτον μὲν πρὸς τοῦτο πεφυκέναι καλῶς πρὸς ὅπερ ἂν προῃρημένοι τυγχάνωσιν, ἔπειτα παιδευθῆναι καὶ λαβεῖν τὴν ἐπιστήμην ἥτις ἂν ᾖ περὶ ἑκάστου, τρίτον ἐντριβεῖς γενέσθαι καὶ γυμνασθῆναι περὶ τὴν χρείαν καὶ τὴν ἐμπειρίαν αὐτῶν* [2]). His verbis nec plura nec pauciora sed paria atque gemina iis, quae Socrati necessaria visa sunt, ab Isocrate ad virtutem

1) Mem. II. 1, 20.
2) XV. 187.

requiruntur. Neque tamen eundem quem Socrates singulis assignavit ordinem et dignitatis locum. Non prudentia primas tenet, sed *φύσις*. Etenim *τὸ τῆς φύσεως ἀνυπέρβλητόν ἐστι καὶ πολὺ πάντων διαφέρει* [1]). Alio autem loco majoribus etiam effertur laudibus indolis bonitas. Existimare se dicit, *τοιαύτην τέχνην, ἥτις τοῖς κακῶς πεφυκόσιν ἀρετὴν ἐνεργάσαιτ' ἂν καὶ δικαιοσύνην, οὔτε πρότερον οὔτε νῦν οὐδεμίαν εἶναι* [2]). Quodsi quaeritur qua de causa ita statuisse putandus sit, ipse in se periculum fecerat Isocrates quanti *τὸ τῆς φύσεως* faciendum esset, quo quum careret, omnis ei deerat facultas gerendae reipublicae et coram concione verba faciendi, quo studio unus maxime flagrabat [3]). Ceterum quod ibi contendit, eos qui mala essent indole nulla arte ut virtuti justitiaeque studerent adduci posse, fore autem ut meliores (*αὐτοὺς αὑτῶν βελτίους*) redderentur si eloquentiae operam darent, primum sibi ipse contradicit, quum eloquentiae, quae est ars quaedam, eam corrigendi tribuat vim, quam nulli arti inesse paullo ante dixerat. Deinde, quo consilio eam orationem quae *περὶ ἀντιδόσεως* inscribitur composuerit, non negligendum videtur. Quum enim se suamque institutionem defendere ab adversariorum calumniis ipsi propositum esset, sua tuendi aliisque obtrectandi studio atque animi vanitate qua omnia praeter se suaque despiciebat, factum est ut, omnibus fere artibus ac disciplinis quae ea aetate vigebant, contemtis, orationi

1) XV. 189.
2) XV. 274.
3) XII. 10.

atque eloquentiae non tantum primas sed et secundas et tertias tribueret, et debito magis artem quam profitebatur extollendo ad ridicula atque absurda delaberetur. Quibus omissis, ex aliis quae integro animi judicio nec in laudem artis suae, quam tanquam Deam colebat, conscripsit, aliquanto melius vera ejus aperietur sententia.

Exstat Isocratis libellus qui ad Nicoclem inscribitur, quem ad hunc principem, Euagorae filium, Salaminis tyrannum, misisse dicitur, in quo de officiis regis exponit. In tali argumento ne iracundia commotus aut vanitate inflatus verum videre non potuerit, non est quod vereamur. Audiamus igitur ipsum loquentem: *καὶ μὴ νόμιζε τὴν ἐπιμέλειαν ἐν μὲν τοῖς ἄλλοις πράγμασι χρησίμην εἶναι, πρὸς δὲ τὸ βελτίους ἡμᾶς καὶ φρονιμωτέρους γίγνεσθαι μηδεμίαν δύναμιν ἔχειν· μηδὲ καταγνῷς τῶν ἀνθρώπων τοσαύτην δυστυχίαν, ὡς περὶ μὲν τὰ θηρία τέχνας εὑρήκαμεν, αἷς αὐτῶν τὰς ψυχὰς ἡμεροῦμεν καὶ πλείονος ἀξίας ποιοῦμεν, ἡμᾶς δ' αὐτοὺς οὐδὲν ἂν πρὸς ἀρετὴν ὠφελήσαιμεν, ἀλλ' ὡς καὶ τῆς παιδεύσεως καὶ τῆς ἐπιμελείας δυναμένης τὴν ἡμετέραν φύσιν εὐεργετεῖν, οὕτω διάκεισο τὴν γνώμην* [1]). Talia quum scribit Isocrates, ad Socraticae triadis exemplum suam sententiam conformasse existimandus est; sed ita hoc fecit, ut paullulum commutaret quae a praeceptore accepisset, nonnihil etiam de suo adderet. Primum enim experientia edoctus principem locum indoli assignavit; Socrates autem non dubium est quin institutioni, *μαθήσει*, dederit primas. Dein illud non est praetermittendum, de reliquis duobus ita Isocratem

1) II. 12.

inter et Socratem convenire, ut παίδευσιν vel μάθησιν necessariam esse uterque judicet, Isocrates vero alium ac Socrates institutioni et disciplinae proponat finem. Socrati enim institutionis finis esse videbatur ἡ σοφία, quam si quis sibi comparasset, eum reliquas quoque habiturum virtutes putabat: etenim καὶ δικαιοσύνη καὶ ἡ ἄλλη πᾶσα ἀρετὴ σοφία ἐστίν[1]). At Isocratis ex sententia σοφία quatuor partium, in quas virtus distribuenda videbatur, erat una. Ceterum nobis in praesens non est propositum ut philosophiam Socraticam ab Isocrate scriptis suis effictam expressamque esse demonstremus: adeat Xenophontem cui ex ipso fonte haurire in animo est. Rivulus unde suam duxerit aquam, sive pura et limpida sive turbida interdum et lutulenta sit, nobis explorare lubet. Quod quo melius exploratum habeamus, de aliis quibusdam Socratis et Isocratis placitis praeceptisque deinceps agendum erit. Et quoniam uterque utilitatem non solum cum honestate conjunxit, sed in quaque re utilitatis imprimis rationem habendam duxit, ordine proximum est ut quam vim ista utilitatis ratio constanter habita ad nonnulla eorum placita conformanda habuerit, paucis exponamus. Qua in re explicanda ab Jove, i. e. a rerum natura, principium ducendum videtur.

Notum est enim plerosque veterum sapientum in rerum natura pervestiganda omnem collocasse operam. Quorum alii in hoc incumbebant ut causas indagarent et principia rerum, alii ipsam rerum universitatem considerabant qualis esset, essetne unum ita ut cetera esse

---

1) Mem. III. 9, 5.

tantum viderentur, revera non essent, an plura aut infinita rerum multitudo, moverenturne res an moveri tantum viderentur, — in ejusmodi igitur rebus anquirendis quum plerique aetatem tererent, quamquam dissimiles studiis et sententiis inter se discrepantes, in hoc tamen similes erant quod abdita rerum atque ea quae ad vitam bene agendam nihil conducerent, cogitando explorari atque inveniri posse putabant, quae excogitassent pro veris habere non dubitabant. Cum hac abditarum rerum investigatione conjuncta erat rerum naturalium indagatio quae tam in pervestigando „hoc coelum et terram et decadentia certis tempora momentis," quam in minimarum rerum perscrutatione versabatur. Nobis quamquam veteres illi in plerisque a vero aberrasse videntur, tamen indagatio illa non contemnenda videtur, siquidem ipsi illorum errores meliorem investigandi viam sequentibus aperuerunt. Verum Socrati ejusque aequalibus, qui studiorum illorum utilitatem, ut in philosophiae primordiis, usu perspectam non haberent, non est quod miremur omnes omnino qui in talibus rebus operam collocarent stulte facere visos esse, scientiam, quae ad vitam melius degendam nihil quicquam adjuvaret, inutilem ab eo judicatam esse atque inanem.

Hic vero oritur aliqua difficultas. Nam si Aristophani fides est habenda, Socrates non modo non alienus ab iis qui in abdita rerum inquirerent, sed ipse magnus imprimis fuit φροντιστής. Verum quominus poëtam comicum hac in re testem fide dignum esse credamus, obstant cum alia, tum odium quo ille nova omnia insectabatur, atque irridendi ac calumniandi studium, quibus induci potuit ut quae Socrates numquam dixisset

neque cogitasset, eum dicentem cogitantemque faceret, tum ipsa etiam urbis Athenarum conditio, quae urbs *διὰ τὸ μέγεθος καὶ τὸ πλῆθος τῶν ἐνοικούντων οὐκ εὐσύνοπτός ἐστιν οὐδ' ἀκριβὴς ἀλλ' ὥσπερ χειμάρρους, ὅπως ἂν ἕκαστον ὑπολαβοῦσα τύχῃ καὶ τῶν ἀνθρώπων καὶ τῶν πραγμάτων, οὕτω κατήνεγκε, καὶ δόξαν ἐνίοις τὴν ἐναντίαν τῆς προσηκούσης περιέθηκεν* [1]). His rebus fieri potuisse ut Aristophanes, quo tempore Nubes conscriberet, aut nesciret aut scire parum curaret, qualis homo Socrates revera esset, non improbabilis est conjectura. Accedit quod Plato in Apologia Socratem facit asseverantem, se nihil eorum quae ab Aristophane excogitata effictaque essent intelligere (*ὧν ἐγὼ οὐδὲν οὔτε μέγα οὔτε σμικρὸν πέρι ἐπαΐω* [2]). Aristophanem autem, qui in Symposio cum Socrate colloquens inducatur, Platoni notum ac quodammodo familiarem fuisse, negari non potest. Quodsi ei cum Platone, fortasse etiam cum Socrate, consuetudo aliqua intercessit, dolendum est Platonem nihil quo tenebrae nunc quidem huic rei offusae dispellantur, memoriae prodidisse [3]). Sed utut se res habet, non est quod poëtae comici lepori ac dicacitati Xenophontis optimi hominis auctoritatem postponamus. Quare audienda nobis erunt quae hic data opportunitate Socratem de iis qui *τὰ δαιμόνια* pervestigarent disserentem facit: *οὐδὲ γὰρ περὶ τῆς τῶν πάντων φύσεως ᾗπερ τῶν ἄλλων οἱ πλεῖστοι διελέγετο σκοπῶν ὅπως ὁ καλούμενος ὑπὸ τῶν σοφιστῶν κόσμος ἔχει καὶ τίσιν ἀνάγκαις ἕκαστα γίγνε-*

---

1) Isocr. XV. 172.

2) Apol. 19. C.

3) Vid. de hoc argumento J. A. Grothe, Dissert. liter. de Socrate Aristophanis. Traj. ad Rhen. 1843.

ται τῶν οὐρανίων ἀλλὰ καὶ τοὺς φροντίζοντας τὰ τοιαῦτα μωραίνοντας ἀπεδείκνυεν. — ἐθαύμαζε δ' εἰ μὴ φανερὸν αὐτοῖς ἐστιν ὅτι ταῦτα οὐ δυνατόν ἐστιν ἀνθρώποις εὑρεῖν· ἐπεὶ καὶ τοὺς μέγιστα φρονοῦντας ἐπὶ τῷ περὶ τούτων λέγειν οὐ ταὐτὰ δοξάζειν ἀλλήλοις ἀλλὰ τοῖς μαινομένοις ὁμοίως διακεῖσθαι πρὸς ἀλλήλους. Nam qui insanirent, horum alios ne metuenda quidem metuere, alios quae minime formidolosa essent reformidare, alios alia facere quae prorsus absona et inter se contraria essent, *τῶν τε περὶ τῆς τῶν πάντων φύσεως μεριμνώντων τοῖς μὲν δοκεῖν ἓν μόνον τὸ ὂν εἶναι, τοῖς δ' ἄπειρα τὸ πλῆθος· καὶ τοῖς μὲν ἀεὶ κινεῖσθαι πάντα, τοῖς δ' οὐδὲν ἄν ποτε κινηθῆναι· καὶ τοῖς μὲν πάντα γίγνεσθαί τε καὶ ἀπόλλυσθαι, τοῖς δ' οὔτ' ἂν γενέσθαι ποτὲ οὐδὲν οὔτ' ἀπολέσθαι.* Quum autem artes eae, quae hominum commodis inservirent, tam ipsis artificibus quam ceteris prodessent, quaerere solebat, putarentne qui res divinas perscrutarentur, quum edocti essent quibus singula necessitatibus fierent, se ventos et aquas et diversa tempora anni, simulac vellent, effecturos esse, an hoc tantummodo sibi proponerent, ut singulorum perspectas haberent causas? [1]).

Socrates igitur aperte significat, sua non referre quales sint causae quarum cognitio nihil prosit hominibus. Quod utile esset, id solum spectandum maximique faciendum esse existimabat: itaque judicabat qui rebus humanis nondum bene cognitis divina perscrutarentur — *ἃ οὐ δυνατὸν ἀνθρώποις εὑρεῖν* — eos officium deserere suum [2]). Praeterea impium esse arbitrabatur

1) Mem. I, 1. 11—15.

2) Mem. I. 1, 12.

nec Diis gratum qui ᾗ ἕκαστα ὁ θεὸς μηχανᾶται investigare vellet [1]).

Eadem, quae Socrates, de *Φροντιστῶν* vanitate opinionum passim disputat Isocrates. Qui postquam exagitavit sophistas illos qui absurda et ridicula aut prorsus inutilia excogitarent atque oratione exornarent [2]), „ Ego autem, inquit, si nuper ineptias illas invectas viderem in studium eloquentiae et auctores de inventorum novitate gloriari, non perinde mirarer; nunc vero *τίς ἐστιν οὕτως ὀψιμαθὴς ὅστις οὐκ οἶδε Πρωταγόραν καὶ τοὺς κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον γενομένους σοφιστὰς ὅτι καὶ τὰ τοιαῦτα καὶ πολὺ τούτων πραγματωδέστερα συγγράμματα κατέλιπον ἡμῖν; πῶς γὰρ ἄν τις ὑπερβάλοιτο Γοργίαν τὸν τολμήσαντα λέγειν ὡς οὐδὲν τῶν ὄντων ἔστιν, ἢ Ζήνωνα τὸν ταὐτὰ δυνατὰ καὶ πάλιν ἀδύνατα πειρώμενον ἀποφαίνειν, ἢ Μέλισσον ὃς ἀπείρων τὸ πλῆθος πεφυκότων τῶν πραγμάτων ὡς ἑνὸς ὄντος τοῦ παντὸς ἐπεχείρησεν ἀποδείξεις εὑρίσκειν; ἀλλ' ὅμως οὕτω φανερῶς ἐκείνων ἐπιδειξάντων, ὅτι ῥᾴδιόν ἐστι περὶ ὧν ἄν τις πρόθηται, ψευδῆ μηχανήσασθαι λόγον, ἔτι περὶ τὸν τόπον τοῦτον διατρίβουσιν* [3]). In oratione autem de Antidosi cautionem dicit adhibendam esse adolescentibus ne ingenium exarescat neve allidatur, tanquam ad scopulos, ad fabulas veterum Sophistarum, Empedoclis, Ionis, Alcmaeonis, Parmenidis, Melissi, Gorgiae: *ἡγοῦμαι γὰρ τὰς μὲν τοιαύτας περιττολογίας ὁμοίας εἶναι ταῖς θαυματοποιίαις ταῖς οὐδὲν μὲν ὠφελούσαις ὑπὸ δὲ τῶν ἀνοήτων περιστάτοις γιγνομέναις, δεῖν δὲ τοὺς προὔργου τι ποιεῖν*

---

1) Mem. IV. 7, 6.

2) In exordio orationis X.

3) X. 2, 3, 4.

βουλομένους καὶ τῶν λόγων τοὺς ματαίους καὶ τῶν πράξεων τὰς μηδὲν πρὸς τὸν βίον φέρουσας ἀναιρεῖν ἐξ ἁπασῶν τῶν διατριβῶν [1]).

Neque meliora aut magis profutura utrique facturus videbatur qui astronomiae aut geometriae cognitioni operam esset daturus. Quare aut omnino abstinendum esse a cognitione quae nulli esset usui statuebant, aut admodum sibi temperare oportere qui in eam incumbere vellet. Atque ne plus operae et temporis quam necesse esset in rebus futilibus juvenes consumerent, Socrates certos terminos constituere solebat quos extra in iis elaboranti egrediendum non esset. Geometriam enim *μέχρι μὲν τούτου ἔφη δεῖν μανθάνειν ἕως ἱκανός τις γένοιτο, εἴ ποτε δεήσειε, γῆν μέτρῳ ὀρθῶς ἢ παραλαβεῖν ἢ παραδοῦναι ἢ διανεῖμαι ἢ ἔργον ἀποδείξασθαι. οὕτω δὲ τοῦτο ῥᾴδιον εἶναι μαθεῖν ὥστε τὸν προσέχοντα τὸν νοῦν τῇ μετρήσει ἅμα τήν τε γῆν ὁπόση ἐστὶν εἰδέναι καὶ ὡς μετρεῖται ἐπιστάμενον ἀπιέναι. τὸ δὲ μέχρι τῶν δυσξυνέτων διαγραμμάτων γεωμετρίαν μανθάνειν ἀπεδοκίμαζεν* [2]). Astronomiae autem peritos esse volebat juvenes: *μέχρι τοῦ νυκτός τε ὥραν καὶ μηνὸς καὶ ἐνιαυτοῦ δύνασθαι γιγνώσκειν ἕνεκα πορείας τε καὶ πλοῦ καὶ φυλακῆς καὶ ὅσα ἄλλα ἢ νυκτὸς ἢ μηνὸς ἢ ἐνιαυτοῦ πράττεται, πρὸς ταῦτ' ἔχειν τεκμηρίοις χρῆσθαι, τὰς ὥρας τῶν εἰρημένων διαγιγνώσκοντας· καὶ ταῦτα δὲ ῥᾴδια εἶναι μαθεῖν παρά τε τῶν νυκτοθηρῶν καὶ κυβερνητῶν καὶ ἄλλων πολλῶν οἷς ἐπιμελὲς ταῦτα εἰδέναι* [3]). Qui extra hos quos in geometria et astronomia

---

1) Isocr. XV. 268, 269.
2) Mem. IV. 7, 2.
3) Mem. IV. 7, 4.

discendis posuisset fines, egressus esset, fore dicebat ut delaberetur ad res quae nihil proficerent, essent autem ejusmodi ut totam aetatem in iis discendis consumere quis posset eoque impediri quominus alia multa et utilia faceret [1]).

Socrates igitur utilitatem, quam cum honestate conjungebat, a cognitione sejungi non sivit. Tam discenda quum facienda existimabat ea tantum quae utilia essent, rejicienda quae aut nocerent aut nihil proficerent. Quum multa eorum quae in geometriae et astronomiae studiis discenda essent, aut nihil ad vitam bene degendam adjuvarent aut supra quam par esset sapere homines docerent ideoque obessent, delectus faciendus ei videbatur quo nonnisi ea quorum aliqua esset utilitas, retinerentur. reliquis rejectis; rejectis autem quae inutilia essent, quae relinquebantur in facili admodum cognitione posita ei videbantur, ut geometriae aut astronomiae institutione adolescentibus non opus esset. Nam partim ipsi sibi erunt praeceptoris loco, partim quae cognoscere cupient, a navis gubernatore vel excubitore aliquo aliisve multis, quibus istarum rerum notitia opus est, discere poterunt.

Nonnulla eorum, quae astronomiae et geometriae cognitione continentur, aliquid proficere ideoque sive Socratica sive alia ratione discenda esse nec negat neque affirmat Isocrates; ceterum aeque ac Socrates, ut in omni cognitione, sic in geometriae et astronomiae studiis utilitatis rationem habendam ducit. Verum alia Socrati, alia Isocrati utilia visa esse

---

1) Mem. IV. 7. 3, 5.

possit esse suspicio. Isocrates enim ita assentitur Socrati ut dicat: *οἵ τε νομίζοντες μηδὲν χρησίμην εἶναι τὴν παιδείαν ταύτην*[1]) *πρὸς τὰς πράξεις ὀρθῶς μοι δοκοῦσι γιγνώσκειν*: addat autem: *οἵ τε ἐπαινοῦντες αὐτὴν ἀληθῆ λέγειν*[2]). Ne vero repugnantia inter sese dicere videatur, qui laudandam censeat institutionem quae ad res agendas (*τὰς πράξεις*) inutilis sit, cur ita statuat expositurus haec subjicit: *ταῦτα γὰρ τὰ μαθήματα τὴν φύσιν οὐδὲν ὁμοίαν ἔχει τοῖς ἄλλοις οἷς διδασκόμεθα· τὰ μὲν γὰρ ἄλλα τότ' ὠφελεῖν ἡμᾶς πέφυκεν ὅταν λάβωμεν αὐτῶν τὴν ἐπιστήμην ταῦτα δὲ τοὺς μὲν ἀπηκριβωμένους οὐδὲν ἂν εὐεργετήσειε πλὴν τοὺς ἐντεῦθεν ζῆν προῃρημένους τοὺς δὲ μανθάνοντας ὀνίνησι· περὶ γὰρ τὴν περιττολογίαν καὶ τὴν ἀκρίβειαν τῆς ἀστρολογίας καὶ γεωμετρίας διατρίβοντες καὶ δυσκαταμαθήτοις πράγμασιν ἀναγκαζόμενοι προσέχειν τὸν νοῦν, ἔτι δὲ συνεθιζόμενοι λέγειν καὶ πονεῖν ἐπὶ τοῖς λεγομένοις καὶ δεικνυμένοις καὶ μὴ πεπλανημένην ἔχειν τὴν διάνοιαν — ἐν τούτοις γυμνασθέντες καὶ παροξυνθέντες ῥᾷον καὶ θᾶττον τὰ σπουδαιότερα καὶ πλείονος ἄξια τῶν πραγμάτων ἀποδέχεσθαι καὶ μανθάνειν δύνανται —.* Est igitur talis *διατριβή*, inquit, *γυμνασία τῆς ψυχῆς καὶ παρασκευὴ τῆς φιλοσοφίας*: atque ideo *διατρῖψαι μὲν οὖν περὶ τὰς παιδείας ταύτας χρόνον τινὰ συμβουλεύσαιμ' ἂν τοῖς νεωτέροις, μὴ μέντοι περιιδεῖν τὴν φύσιν τὴν αὐτῶν κατασκελετευθεῖσαν ἐπὶ τούτοις —*[3]).

Dixerat similia quidem Socrates, non tamen plane

1) Puta astronomiae et geometriae et **τῶν λόγων τῶν ἐριστικῶν** disciplinam. XV. 261.

2) XV. 263.

3) XV. 264. sqq.

eadem. Uterque suum de astronomiae et geometriae cognitione judicium ad utilitatis normam conformavit; utrique communis fuit opinio: ταῦτα τοὺς ἀπηκριβωμένους οὐδὲν ἂν εὐεργετῆσαι [1]); nec tamen illarum artium rudes omnino esse oportere juvenes uterque affirmat. Quodsi vero ex utroque quaeras, quam ob causam sic statuat, aliud respondebit Socrates, aliud Isocrates. Socratis enim rationes sic concluduntur: quaecunque ad vitam bene degendam non adjuvant, rejicienda sunt; atqui paucis exceptis inania sunt futiliaque quae docent geometri et astrologi; ergo sunt rejicienda. Quare juvenes dehortor ne aut geometris aut astrologis in disciplinam se tradant: pauca enim illa quae alicui sunt usui aut ab aliis sciscitari aut ipsi per se dicere possunt. At Isocrates: Non sunt, inquit, nulli usui quae ad vitam bene degendam nihil adjuvant: proficiunt enim adolescentibus quae laborem et diligentiam et animi attentionem assiduam flagitant, quare equidem non obsto quominus illis se dedant studiis, immo ut in ea incumbant suadeo; monitos tantum velim ne his exarescere ingenia sua sinant.

Ceterum operae pretium est attendere quantopere Isocrates cum aetate judicium sententiamque mutarit. Provecta quum jam esset aetate [2]), sic existimavit: τοὺς ἐν τοῖς ἐριστικοῖς λόγοις δυναστεύοντας καὶ τοὺς περὶ τὴν ἀστρολογίαν καὶ γεωμετρίαν καὶ τὰ τοιαῦτα τῶν μαθημάτων διατρίβοντας οὐ βλάπτειν ἀλλ' ὠφελεῖν τοὺς συνόντας [3]).

---

1) Isocr. XV. 264.

2) XV. 9.

3) XV. 261.

Aliud ejusdem de institutione *τῶν περὶ τὰς ἔριδας διατριβόντων* judicium [1]) habemus multis ante annis literis mandatum [2]), dissimile sanequam illi ac diversum. „Jure, inquit, indoctorum quidam tales praeceptores contemnunt, *καὶ νομίζουσιν ἀδολεσχίαν καὶ μικρολογίαν ἀλλ' οὐ τῆς ψυχῆς ἐπιμέλειαν εἶναι τὰς τοιαύτας διατριβάς* [3]), puta eadem illa studia, quae *γυμνασίαν τῆς ψυχῆς καὶ παρασκευὴν τῆς φιλοσοφίας* esse [4]) idem posteriore vitae tempore judicavit. Quam repugnent haec inter se, nemo non videt. Apparet Isocratem, quo tempore scholam aperuit et suasiones ac laudationes conscribere coepit (quando autem id fecerit, nunc non attinet quaerere), quo igitur tempore incepit *περὶ ταύτην*, i. e. rhetoris, *εἶναι τὴν πραγματείαν*, apparet eum eristicis studiis omnem utilitatem abjudicavisse. Quodsi de eristicorum disciplina in Antidosi aliter atque in prima illa scriptione *ἐπιδεικτικῇ* judicavit, hoc ita convertere par est ut dicamus, Isocrati, antequam mutasset judicium, tria illa aeque utilia, i. e. prorsus inutilia ac indigna in quae incumberent juvenes, visa esse atque ita eum de geometria et astronomia cum Socrate consensisse ut nulla esset inter ambos dissensio.

Sed dum nos serio et attente Isocratem audimus de disciplinis disputantem, dum miramur qui factum sit, ut eristicos, quos antea odio habuisset, postero tempore dilexerit atque ab objurgatoribus defenderit, ipse ille

---

1) In oratione *κατὰ τῶν σοφιστῶν*. XIII. initio.

2) XV. 193: *ὅτ' ἠρχόμην περὶ ταύτην εἶναι τὴν πραγματείαν.*

3) XIII. 8.

4) XV. 266.

vereor ne nil aliud agat nisi ut fucum faciat atque egregie imponat lectoribus. Simulat quidem se cum prioribus inimicis in gratiam rediisse, sed revera despicit contemnitque quos tueri videtur. Mox oblata occasione eloquetur talia, quae omnibus, quibus in praesentia ea involvenda duxit, integumentis nudata, veram ac pristinam ejus exhibeant sententiam. Dixerunt gregarii quidam sophistae [1]), Isocratem aliorum studia atque omnes omnino institutiones evertere [2]). Quos ut refellat, strenue operam dandam censet senex: „Egone, inquit, ut institutionem a majoribus nobis traditam contemnam? Tantum abest ut hoc facere mihi in animo sit, ut vel eam quae nostra viget aetate laudibus efferam, geometriam dico et astronomiam et eristicos dialogos, quibus juniores magis quam aequum est delectantur, seniorum autem nemo est ὅστις ἂν ἀνεκτοὺς εἶναι φήσειεν" [3]). Pulchram laudationem! „Verumtamen ut in studia illa incumbant atque intendant animum, omnibus qui se iis dederunt auctor sum. Quid enim? Ut nihil aliud efficiant boni, juniores tamen a multis aliis erroribus et delictis (ἁμαρτήματα) illae prohibent disciplinae." Profecto nil novi est sub sole! Aut enim fallor aut hoc est illud quod hodieque timidae

---

1) τρεῖς ἢ τέτταρες τῶν ἀγελαίων σοφιστῶν. Isocr. in Panathenaïco (18.) quae oratio, ut hoc in transitu moneam, altera senis Isocratis Apologia jure appellari possit. absoluta illa atque edita quindecim annis postquam priorem Apologiam, i. e. orationem περὶ ἀντιδόσεως, conscripserat. (XV. 9. XII. 270.)

2) XII. 19.

3) XII. 26 sqq.

faciunt matres, quae ad ludi magistrum mittunt pueros, ne in ignem incurrant neve in aquam incidant. Quidquid est, qui e malis id quod minus malum sit eligendum ducit, tamen malum istud bonum esse non dixerit. In malis igitur Isocrati et eristicorum disciplina et astronomiae ac geometriae cognitio ponendae videbantur. Nos autem, quum verba illa legeremus satis honorifica, quae de eristicis ceterisque in Antidosi posuit, fugerat quo consilio haec dixisset: scilicet ut mitem se esse hominem nec angusti animi rhetorem ostenderet [1]). Quae oblivio quum ad finem properantibus cursum retardarit, tandem aliquando vento vela sunt danda [2]).

---

1) XV. 260.

2) Orellius de Isocratis verbis, in Antidosi positis, disputans, Isocratem auctorem fuisse existimat vulgaris illius opinionis, cujus Quintilianus facit mentionem: in geometria partem esse utilem teneris aetatibus; agitari namque animos atque acui ingenia et celeritatem percipiendi inde venire. (Inst. I. 10, 34.) Ne vero majorem quam par sit, laudem Isocrati tribuat, haec addit: „Uebrigens darf man schwerlich annehmen, dass sie aus seinem eigenen Geiste hervorgegangen sei; denn jeden speculativen Gedanken dankt er andern, und besonders dem Platon." Isocratis oratio de permutatione; edd. Orell. pg. 307. — Equidem concedo illius opinionis originem ab ipso Isocrate non esse repetendam, etiamsi Isocrates primus eam elocutus sit, nec tamen credo e Platonico eum haec fonte duxisse. In omni institutione tria requiri: φύσιν, μελέτην, μάθησιν, Socratis fuerat opinio. Isocrates, praeceptoris memor, tribus illis omnem cujusvis disciplinae utilitatem metiebatur. Quum studia illa, quae ceteroquin despiciebat, in praesentia paullulum laudanda duceret, fieri non potuit quin exercitationis, quae una huc trahi poterat, ei veniret in mentem. Quocirca ad

Isocratem Socratis more ad utilitatem retulisse omnem institutionem, cum ex iis quae eristicis aliisque objecit effici jam potuit, tum quae idem illud declarent habemus multa alia ejus enuntiata. Ipse sophista graves cum omnibus fere sophistis, qui ea aetate floruerunt, exercuit inimicitias. Jam quoties conviciorum tela in eos conjecit — fecit autem id quavis data occasione — id egit ut eorum stultitiam dementiamque convinceret atque a disciplina, quae ad vitam bene degendam nihil adjuvaret, dehortaretur averteretque adolescentes. Cujus rei quum multi documento esse possint loci, unum qui omnium instar sit afferam. Invehitur in adversarios suos, quorum orationem in absurdis atque ridiculis argumentis exsultantem perstringit, deinde haec addit: *οὓς ἔχρην ἀφεμένους ταύτης τῆς τερθρείας τῆς ἐν μὲν τοῖς λόγοις ἐξελέγχειν προσποιουμένης ἐν δὲ τοῖς ἔργοις πολὺν ἤδη χρόνον ἐξελελεγχμένης, τὴν ἀλήθειαν διώκειν καὶ περὶ τὰς πράξεις ἐν αἷς πολιτευόμεθα, τοὺς συνόντας παιδεύειν καὶ περὶ τὴν ἐμπειρίαν τὴν τούτων γυμνάζειν, ἐνθυμουμένους ὅτι πολὺ κρεῖττόν ἐστι περὶ τῶν χρησίμων ἐπιεικῶς δοξάζειν ἢ περὶ τῶν ἀχρήστων ἀκριβῶς ἐπίστασθαι καὶ μικρὸν προέχειν ἐν τοῖς μεγάλοις μᾶλλον ἢ πολὺ διαφέρειν ἐν τοῖς μικροῖς καὶ τοῖς μηδὲν πρὸς τὸν βίον ὠφελοῦσιν* [1]).

Ne vero in mentem alicui veniat versus cujusdam

Socratem origo illius opinionis referenda est, siquidem de exercitationis utilitate Socrates ei persuaserat. Sed vereor ne hoc modo origines quaerendo omnes omnino homines corvos, neminem pavonem esse, probare facile possemus. Cf. Phaedri fabula quae est de Corvo et Pavone.

1) X. 4, 5.

Horatiani[1]), Isocrates non solum aliis, ut quae utilia essent adjuvarentque ad vitam sequerentur, auctor extitit, sed et ipse in talibus versatus est argumentis quae cum jucunditate conjunctam habere utilitatem viderentur, et quos habuit discipulos, non ad qualem cumque eloquentiam, sed ad eam quae utile dulci admistum haberet, instituere officium sibi duxit. Quodsi quaeritur, quibusnam in argumentis utile illud positum Isocrati videretur, exstant ipsius verba: Νεώτερος *μὲν ὢν — περὶ ἐκείνους τοὺς λόγους ἐπραγματευόμην τοὺς περὶ τῶν συμφερόντων τῇ τε πόλει καὶ τοῖς ἄλλοις* Ἕλλησι *συμβουλεύοντας*[2]). Tales orationes alio loco vocat Ἑλληνι*κοὺς καὶ πολιτικοὺς καὶ πανηγυρικούς, — ὧν — πολλοὶ — μαθηταὶ γίγνεσθαι βούλονται, νομίζοντες τοὺς ἐν τούτοις πρωτεύοντας πολὺ σοφωτέρους καὶ βελτίους καὶ μᾶλλον ὠφελεῖν δυναμένους εἶναι τῶν τὰς δίκας εὖ λέγοντων*[3]).

Quae ipse de suis orationibus deque institutione sua praedicat, pulcra sunt illa quidem et animum testantur ab eristicorum controversiis spinisque alienum, utilia semper spectantem; sed ut in omnibus artibus ac disciplinis maxime eminet is, qui veram viam quam ingrediendum sit primus monstravit, ita plurimi refert scire utrum Isocrates primus, utilitatis ratione habita, novum argumentorum et declamationum genus invenerit et in suam induxerit scholam, an quae ab aliis accepisset pro suis venditaverit. Ad quod respondendum videtur verbis Dionysii Hal. qui in libello quo

1) A. P. 138.
2) XII. 1, 2.
3) XV. 46.

de Isocrate aliisque oratoribus judicat, haec dicit: *πεφυρμένην δὲ λαβὼν τὴν ἄσκησιν τῶν λόγων ὑπὸ τῶν περὶ Γοργίαν καὶ Πρωταγόραν σοφιστῶν πρῶτος ἐχώρησεν ἀπὸ τῶν ἐριστικῶν καὶ φυσικῶν ἐπὶ τοὺς πολιτικοὺς καὶ περὶ ταύτην σπουδάζων τὴν ἐπιστήμην διετέλεσεν.* Quod Dionysius dicit, Isocratem primum *περὶ ταύτην τὴν ἐπιστήμην διατελέσαι*, consulto ab eo additum videtur. Nam inceperat jam antea Gorgias quod Isocrates semper ac constanter fecit, ut qui praeceptor esset eloquentiae idem *λόγους πολιτικούς* conscriberet et recitaret [1]). Sed primus fuit Isocrates, qui eristicorum argumenta ridicula et absurda, physicorum *θαυματοποιίας*, a quibus Gorgias non abstinuerat, quin forense etiam dicendi genus contemneret et rejiceret, atque ad eam eloquentiam, quam solam utilem esse existimaret, tam exemplo quam institutione informaret discipulos. Quae cum ita sint, agnoscere in hoc mihi videor Socratis discipulum qui praeceptoris praecepta ac placita ad suam disciplinam transtulerit.

Ne illud quidem praetermittendum est, quod Isocrates novae Academiae placitis fuit addictus longe antequam Carneades eam constituisset. Ἐπειδή, inquit, *οὐκ ἔνεστιν ἐν τῇ φύσει τῇ τῶν ἀνθρώπων ἐπιστήμην λαβεῖν, ἣν ἔχοντες ἂν εἰδεῖμεν ὅ τι πρακτέον ἢ λεκτέον ἐστίν, — σοφοὺς νομίζω τοὺς ταῖς δόξαις ἐπιτυγχάνειν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῦ βελτίστου δυναμένους* [2]). Quid sit optimum dictu factuve quum sciri non possit, *δόξαι* et *στοχάζεσθαι* [3]) habita sunt

1) Cf. Westermann. Geschichte der Beredsamkeit. I. p. 45.

2) XV. 271.

3) XII. 261. XIII. 17. et multis aliis locis.

tamquam termini, quos extra egredi atque ad certam rerum cognitionem pervenire hominibus non liceret. Quid utile sit, conjectura assequendum est: ut quisque optime στοχάζεται, ita optime eruditus est [1]). Haec Socratem docuisse, non quisquam dixerit. Hic enim hominum ignorantiam convincere studebat eo consilio ut falsas aut praejudicatas opiniones (δόξας) ex eorum animis evelleret, quibus ereptis fore sperabat ut non quid verum esse videretur, sed quid revera esset, quaerere instituerent. Jam vero persaepe acciderat ut qui ab eo interrogarentur, quod responderent non haberent atque obmutescere cogerentur. Quo quum rem perduxisset, satis interrogatum putabat. Neque enim tam id agebat ut falsae opinionis in locum substitueret veritatem, quam ut ad meliora ac firmiora quaerenda eos, quorum ignorantiam et errores convicisset, adigeret. Sed fieri vix potuit quin multos, qui eum cum civibus peregrinisque sermocinantem audirent et singulos eo perducentem ut obmutescerent, ea teneret opinio, nihil certum nec absque dubio verum esse in hominum scientia, quum viderent tantam esse falsarum opinionum vim, tantum diversissimorum hominum numerum, non solum stupidorum, sed eorum etiam qui rerum periti sapientesque haberentur, qui tamen τῷ εἴρωνι resistere non possent. Hinc repetenda mihi videtur sententiae Isocrateae origo, quem ab ipso Socrate στοχάζεσθαι illud et δόξας illas traxisse puto, etiamsi Socrati neutrum fuisset probaturus. Isocratem autem quorsum Socratis tenderent

1) XII. 30.

placita, non semper intellexisse, supra jam demonstrare conatus sum.

Comparanti mihi similitudines liceat ordinem in disputando non tenere et continuam rerum seriem ita deserere ut ab Isocratea probalitate ad Deorum cultum derepente transsiliam. Sunt autem quae de cultu Deorum dixerunt Socrates et Isocrates vinculo quodam cum iis quae supra disputantem audivimus utrumque conjuncta: quid utile sit, quid inutile, quaerit uterque. Ac Socrates quidem Deos sic coluisse narratur, ut Pythia oraculum consulentibus praecipere solebat: *ἥ τε γὰρ Πυθία νόμῳ πόλεως ἀναιρεῖ ποιοῦντας εὐσεβῶς ἂν ποιεῖν, Σωκράτης τε οὕτω καὶ αὐτὸς ἐποίει καὶ τοῖς ἄλλοις παρῄνει, τοὺς δὲ ἄλλως πως ποιοῦντας περιέργους καὶ ματαίους ἐνόμιζεν εἶναι* [1]. Nicocli praecepit idem Isocrates: *τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ποίει (μέν), ὡς οἱ πρόγονοι κατέδειξαν* [2]. In Areopagitico autem, quo majores omnibus cumulavit laudibus, atque illos omnibus animi bonis externisque rebus abundasse, contra suae aetatis Athenienses omnino his carere demonstrare conatus est, non ultima haec laus habetur: *οὐ γὰρ ἐν ταῖς πολυτελείαις ἐνόμιζον εἶναι τὴν εὐσέβειαν, ἀλλ' ἐν τῷ μηδὲν κινεῖν ὧν αὐτοῖς οἱ πρόγονοι παρέδοσαν* [3]. Quod majores fecerant, ut non sumptuum magnitudine pietatem metirentur, idem Nicocli ut faceret neve pluris aestimaret sacrificia quam vitam sanctam honestamque, auctor Isocrates est his verbis: *ἡγοῦ δὲ θῦμα τοῦτο κάλλιστον*

---

1) Mem. I. 3, 1.
2) II. 20.
3) VII. 30.

εἶναι καὶ θεραπείαν μεγίστην, ἂν ὡς βέλτιστον καὶ δικαιότατον σαυτὸν παρέχῃς· μᾶλλον γὰρ ἐλπὶς τοὺς τοιούτους ἢ τοὺς ἱερεῖα πολλὰ καταβάλλοντας πράξειν τι παρὰ τῶν θεῶν ἀγαθόν [1]). Ne hic quidem deest dux atque auctor sententiae Isocrateae Socrates, qui θυσίας θύων μικρὰς ἀπὸ μικρῶν οὐδὲν ἡγεῖτο μειοῦσθαι τῶν ἀπὸ πολλῶν καὶ μεγάλων πολλὰ καὶ μεγάλα θυόντων, ἀλλ' ἐνόμιζε τοὺς θεοὺς ταῖς παρὰ τῶν εὐσεβεστάτων τιμαῖς μάλιστα χαίρειν [2]). Ceterum de Dis eorumque mundum regendi munere quid existimandum esset, Philippum, regem Macedoniae, docuit Isocrates [3]). Sunt autem quae docendi causa literis mandavit ejusmodi, ut nec cum Socratis sententia discrepent nec tamen similia in Xenophontis libro me legere meminerim. Quodsi hac in re a Socrate dissensisset, id in tanta opinionum discrepantia tantaque quidvis sentiendi judicandique licentia ne mirandum quidem foret.

De reliquis quum jam satis dictum videatur, restat ut de republica administranda paucis absolvamus. Erat haec Socrati opinio: βασιλεῖς καὶ ἄρχοντας οὐ τοὺς τὰ σκῆπτρα ἔχοντας εἶναι οὐδὲ τοὺς ὑπὸ τῶν τυχόντων αἱρεθέντας οὐδὲ τοὺς κλήρῳ λαχόντας οὐδὲ τοὺς βιασαμένους οὐδὲ τοὺς ἐξαπατήσαντας, ἀλλὰ τοὺς ἐπισταμένους ἄρχειν [4]) Aperte haec verba significant, populare imperium Socrati displicuisse. Quare ne opus quidem fuerat, Xenophontem alio loco narrare, eum magistratuum sortitionem im-

---

1) II. 20.
2) Mem. I. 3, 3.
3) V. 150, 151.
4) Mem. III. 9, 10. 11.

probavisse [1]). Nam si regendi artis peritis permittenda est respublica, sponte sequitur ut magistratus non sint sorte ducendi. Ceterum de reipublicae administratione non multum disseruisse videtur Socrates. Nec mirum hoc est. Socrates enim reipublicae gerendae partes aliis permisit, ipse in materna exercenda arte tam erat occupatus ut semper percunctandi et explorandi hominum animos propopositum sequens, a recta via se aberrare non pateretur. Quare nec novis rebus studuit, quamquam populare improbaret imperium, nec certam reipublicae formam, quae omnium optima esset, informavit, cujus cum praestantia popularis imperii calamitates et miserias compararet, id quod non Plato tantum, sed Isocrates etiam fecit. Et Socratem quidem novis rebus non studuisse, documento sunt ipsae accusatorum ejus criminationes, quas inter frustra quaesiveris hujusmodi aliquid: ἀλλὰ νὴ Δία, ὁ κατήγορος ἔφη, ὑπερορᾶν ἐποίει τῶν καθεστώτων νόμων τοὺς συνόντας· — τοὺς δὲ τοιούτους λόγους ἐπαίρειν ἔφη τοὺς νέους καταφρονεῖν τῆς καθεστώσης πολιτείας καὶ ποιεῖν βιαίους [2]). Scriptum erat in accusatione: Σωκράτης διαφθείρει τοὺς νέους [3]); tantum vero abfuit ut partium novarumque rerum studium Socrati objicere possent ejus inimici, ut Plato in Apologia ne verbo quidem talis criminationis mentionem faciat; immo longe aliam ob causam eum depravare juvenes accusatores asseveraverunt, crediderunt judices [4]). Attamen

---

1) Mem. I. 2, 9.
2) Mem. I. 2, 9.
3) Mem. I. 1, 1. — Plat. Apol. 24. B.
4) Ap. 26. B. — 18. B.

tradit Xenophon, *accusatorem* — τὸν κατήγορον — Socrati crimini dedisse quod juvenes novarum rerum studiosos ac violentos redderet [1]). Quis sit accusator ille quaeritur, vel potius nunc quidem quaerere non amplius opus est. Xenophontis enim κατήγορον non esse Meletum neque Anytum neque Lycona, sed Polycratem Sophistam, qui aliquot annis post philosophi mortem κατηγορίαν Σωκράτους edidit, satis superque probavisse Vir Cl. Cobetus mihi quidem videtur. Cujus ad argumenta, per se jam satis firma, hoc addi potest, quod accusatorem Xenophonteum si statuimus revera in judicio Socratem accusavisse, Plato gravissimam criminationem, tamquam si refellere eam Socrates non posset, silentio praetermisit; si autem Xenophon Polycratem ut redargueret operi manus admovit, nec repugnant inter se nec discrepant quae ab utroque discipulo, magistrum ut defenderent, literis mandata sunt. Alter Socratem inducit in vera causa accusatorum crimina propulsantem, alter non accusatores — τοὺς κατηγόρους — redarguit, sed τὸν κατήγορον, i. e. Polycratem, qui multa excogitare potuit quorum illis ne in mentem quidem venisset.

Si vera sunt quae disputavi, Socratem, quamquam populare improbaret imperium, tamen nequaquam ad τοὺς ἐπισταμένους ἄρχειν administrandae reipublicae munus deferre studuisse, eumque tam raro de suae civitatis institutis moribusque verba fecisse ut ne accusatores quidem ei crimini dare possent quod novis rebus studeret, sequitur Isocratem hac in parte nonnisi pauca admodum a praeceptore mutuari potuisse. Atque haud

---

1) Mem. I, 2, 9.

scio an nihil ab eo mutuatus sit. Despiciebat ac metuebat plebem Isocrates, odium habebat popularis imperii, sorti permittendam negabat rempublicam [1]); at hac in re Socratis auctoritate ei opus non est. Isocrates enim, quo rerum tempora ipsiusque ingenium ducebant, sponte sua pervenisset: ab optimatium stetisset partibus, etiamsi Socratem numquam audivisset. Illud autem sine ulla dubitatione a Socrate acceperat, quod qualibet oblata occasione Atheniensibus inculcare studuit, quemadmodum singulis hominibus, sic toti etiam civitati omnem beatitudinis spem in virtute esse positam.

Atque hic subsistendum finisque disputationi faciendus esse videtur. Attuli quae ut Socrati Isocratem auditorem vindicarem, colligere potui. Suscepto munere ita functus sum, ut de virtute ceterisque de rebus, in quibus praecipuam cogitandi et disserendi curam homines ponunt, utrumque disputantem aut sermocinantem audirem. Quae similia essent, notavi, nec tamen discrepantia neglexi aut silentio praetermisi. Jam quid statuendum sit, judicent qui haec legent. Forsitan dixerit quis, me nimis curiose in hac quaestione exploranda versatum esse: ad Socratem enim tanquam auctorem me retulisse nonnulla, quae aliunde accipere Isocrates potuerit. Respondeo, in huiusmodi quaestione certos terminos, quos intra verum consistat, constitui haud facile posse. Quare concedo, quae de cultu Deorum, de humani ingenii imbecillitate, de aliis quibusdam rebus Isocrates dixerit, non a Socrate sed aliunde mutuari eum potuisse, modo

1) VII. 21, 22.

ne negetur, eum gravissima sua decreta a Socrate duxisse, reliquorum autem eam esse rationem ut e Socratica disciplina hauriri saltem optime potuerint. Praeterea non negligendum est, me non id praecipue egisse ut Isocratem Socratis discipulum fuisse, sed ut alterum alterius osorem non fuisse probarem [1]). Quo plura autem doctrinae capita et decreta ambobus communia fuisse apparet, eo melius refutantur qui in tanta consensione de invidia vel odio cogitant.

1) Vid. supra p. 2.



QUAESTIO ALTERA.

DE ISOCRATIS VITA, INGENIO, MORIBUS.

CAPUT I.

De Isocratis vita dicturo liceret mihi esse brevem, etiamsi hoc propositum esset ut a carceribus ad calcem eam percurrerem. Multi enim et doctissimi viri copiose de ea exposuerunt, qui cum ineptias et mendacia veterum scriptorum qui ejus vitam enarrarunt refellerunt, tum ostenderunt in tota Atticae Sirenis vita perpauca ac paene nihil reperiri dignum quod magnopere attendatur. Sed ad hanc brevitatis excusationem accedit alia ratio, quae non minus est gravis. Quaestionem enim quam tractare aggredior, ideo tantum „de Vita" inscripsi, quod cujusque vita et ingenium moresque arcto vinculo inter se continentur, ita ut secus quam fecit aliquis et cogitavit, facturus et cogitaturus fuisset si aut alio tempore vixisset aut alii casus sive secundi sive adversi ei obvenissent. Quod si verum est, sequitur quaestionem quae est de Isocratis ingenio

et moribus, quam elucubrandum suscepi, ab altera quae est de vita, sejungi non posse. Sed quoniam in satis magna farragine eorum quae de vita Isocratis memoriae prodita sunt nonnisi perpauca inveni quae ad propositam quaestionem valere aut certe non negligenda esse mihi viderentur, delectu facto rejectisque multis cetera, quae huc pertinere arbitror, aut praemittam tanquam in prooemio aut suo quaeque loco inseram.

Constat igitur inter omnes, Isocratem natum anno a. C. 436, centenarium paene anno a. C. 338, paucis post Chaeronensem cladem diebus, diem obiisse supremum [1]). Liberaliter se a patre educatum esse, ipse narrat [2]). Neque est cur fidem non habeamus seni dicenti se olim magis illustrem et notum inter aequales et condiscipulos fuisse quam tum esset inter cives suos. Juvenem eum audisse claros Sophistas qui ea aetate florebant, Protagoram, Gorgiam, Tisiam, Prodicum [3]), narrant qui de ejus vita egerunt scriptores veteres. Nec dubium est quin hos Athenis docentes et declamantes audierit ab iisque ad eloquentiam institutus sit. Sed philosophia quam illi profitebantur nequaquam ei placuisse videtur. Quoties enim eorum decreta tangit, irridet perstringitque τοὺς παλαιοὺς σοφιστάς, qui ejusmodi ineptias excogitassent [4]). Socratem autem jure inter Isocratis praeceptores numerari, supra probare conatus sum. Sed Theramenes nescio an ad praecep-

---

1) Cf. Pfund de Isocratis vita et scriptis, p. 4.
2) XV. 161.
3) Cf. Pfund p. 8.
4) X. 3. XV. 269.

ptorum numerum non adscribendus sit [1]). Demonstravit V. Cl. Bakius haudquaquam verisimile esse, hunc demagogum et politicum oratorem instituendae juventuti operam dedisse [2]). Tamen inter ambos arctior familiaritas intercessisse videtur. Narrant enim veteres Isocratem Therameni, cum ad mortem duceretur, opitulari voluisse [3]): quae narratio etsi et propter Isocratis timiditatem et quod de Socrate idem fere memoriae proditum est, satis dubiae est fidei, tamen ostendit antiquitus famam obtinuisse de amicitia et necessitudine quae Isocrati cum Theramene fuisset. Quare equidem cum Bakio facio, qui se non intercedere dicit quominus Theramenem audiverit Isocrates, modo sic intelligatur ut de Demosthene traditur eum audivisse Callistratum, i. e. hujus imprimis dicendi gloria ad ejusdem laudis studium excitatum esse. Ac forsitan haud perverse statuerit qui existimet, eum a Theramene non tantum eloquèntia sed etiam civili scientia auctum esse.

Quale vitae institutum ineunte adolescentia ceperit Isocrates si quaeras, ipse narrat se olim capessendae reipublicae iniisse consilium, defuisse autem sibi quae plurimum apud Athenienses valeant, *φωνὴν ἱκανὴν καὶ τόλμην* [4]). Neque tamen ideo animum despondisse, sed ad ea se contulisse in quibus elaboranti neque magna

---

1) Pfund. p. 8.

2) In disputatione de Isocratis praeceptoribus, Schol. Hyp. Vol. III.

3) Pseudo-plut. in vita Isocratis.

4) XII. 9, 10.

voce neque audacia opus esset, ἐπὶ τὸ φιλοσοφεῖν καὶ πονεῖν καὶ γράφειν ἃ διενοηθείην. Itaque scholam aperuit et λόγους Ἑλληνικοὺς καὶ βασιλικοὺς καὶ πολιτικοὺς conscribere aggressus est [1]). Haec quidem ipse. At alia Aristoteles, qui, apud Ciceronem, Isocratem primo esse artem dicendi negavisse narrat, scribere autem aliis solitum orationes, quibus in judiciis uterentur: sed cum ex eo (quia quasi committeret contra legem, quo quis judicio circumveniretur) saepe ipse in judicium vocaretur, orationes aliis destitisse scribere totumque se ad artes componendas transtulisse [2]). Ne vero putemus negligentia quadam factum esse ut Isocrates id quod ab Aristotele relatum est silentio praetermiserit, quasi parvi id existimaret esse momenti, non semel verum id esse plane negat. Obiter quidem et ut rem tangere in praesens satis habeat, his verbis: οὐ περὶ μικρῶν τὴν προαίρεσιν ποιούμενος οὐδὲ περὶ τῶν ἰδίων συμβολαίων [3]). Sed aliquot ante annis data opera, argumentis collectis et dispositis, demonstrare conatus erat se orationes judiciales aut nullas conscripsisse, aut si conscripsisset, quod tamen probari non posset, nemini civium nocuisse [4]). Sed operae pretium est attendere ad argumenta quibus usus est ut fictum accusatorem redargueret. Postquam enim se nemini civium nocuisse neque aliis orationes conscribendo neque discipulis suis praecipiendo, quomodo τὸν ἥττω λόγον κρείττω facerent,

1) XII. 11.
2) Cic. Brut. c. 12.
3) XII. 11.
4) XV. 33—42.

probavit ita ut diceret, si qui a se laesi fuissent, eos oblata occasione usuros fuisse ut se accusarent (in ficta scilicet causa!) vel testimonium contra se dicerent: postquam igitur quod crimini daretur, id verum esse ita concessit ut non turpe facinus sed laude dignum se commisisse contenderet, derepente rem omnem infitiatur. *Οὐ μὴν οὐδ' εἰ ταῦτ' ἔχων περὶ ἐμαυτοῦ λέγειν, οὐδ' οὕτω φανήσομαι περὶ τοὺς λόγους τοὺς τοιούτους γεγενημένος* [1]). Quid enim? Omnes homines in iis locis versari solent, unde quaestum sibi comparare instituerint: qui e negotiis civilibus et litibus quae inde oriuntur victum quaerunt, hi tantum non in foro habitant; at me nemo umquam vidit *οὔτ' ἐν τοῖς συνεδρίοις οὔτε περὶ τὰς ἀνακρίσεις οὔτ' ἐπὶ τοῖς δικαστηρίοις οὔτε πρὸς τοῖς διαιτηταῖς*. Deinde istos apud vos solos quaestum facere posse reperietis; si alio migraverint, unde famem depellant non habere; mihi autem omnes copias aliunde obvenisse. Praeterea ad illos se convertunt qui aut ipsi in malis sint aut aliis negotia facessere velint, ad me autem qui omnium Graecorum sunt otiosissimi. Quod autem audivistis accusatorem dicentem, me a Nicocle, Salaminiorum rege, multa et magna munera accepisse, profecto non ut causas agere disceret, propositum sibi habuit ille qui aliorum controversias tamquam dominus disceptare solet. Postremo quum permulti sint, qui litigantibus orationes conscribant, nemo eorum umquam dignus est habitus cui juvenes in disciplinam traderentur; „ego vero plures habui discipulos, teste accusatore, quam ceteri omnes dicendi magistri."

---

1) XV. 36.

Satis callide quaecumque potuit colligere argumenta, expromsit. De quibus illud inprimis dignum est quod animadvertatur, eum nequaquam omni asseveratione affirmare, numquam se aliis conscripsisse orationes. Non enim negat se umquam in eo genere orationum operam posuisse; tantum negat id posse probari: *οὐ — φανήσομαι — γεγενημένος*. Quod sequitur argumentum, aliquantum haberet ponderis, nisi sciremus in ficta causa qui eum redargueret non adfuisse. Etenim quum affirmat neminem esse qui se in foro aut in judiciis umquam viderit, recte eum id affirmare credimus, modo ne de omni vitae tempore hoc dictum esse velit. Deinde, iterum cautione adhibita, non dicit „numquam ego fui," sed „nemo me umquam vidit," quod facile dicere poterat. Neque enim, ut modo dicebam, aderat qui redargueret, et quum multi anni praeterlapsi essent ex quo aliis orationes scribere destitisset, etiamsi olim per aliquod tempus in foro versatus esset, tamen quae tot ante annis facta essent e memoria excidisse eorum qui etiam tum superstites essent ex ejus aequalibus, facile suspicabatur octogenarius senex. — De altero videamus argumento. „Illi (causarum actores), inquit, apud vos solos rem facere possunt, mihi ab externis hominibus omnes obvenerunt copiae": et „ad istos se conferunt qui aut ipsi in malis sint aut aliis negotia facessere cupiant, ad me vero homines omnium Graecorum otiosissimi." Male concludi hoc argumentum quisque videt. Videlicet in omne vitae spatium transtulit quod nonnisi in partem quadrat. Post enim quam vitae institutum mutaverat, ab externis imprimis copiae ei obvenerunt et homines otiosi ad

eum se contulerunt, antea vero cives qui aut ipsi in malis essent aut aliis negotia exhibere vellent, ejus opera utebantur. Ergo vera sunt quae dixit, sed alia quae non minus vere dici poterant silentio omisit.

Tertium argumentum, quum nullius sit momenti, silentio praeterire liceat. Quarti eadem quae secundi est ratio: „λόγων συγγραφεῖς numquam digni sunt habiti quibus in disciplinam juvenes traderentur." Si nihil omittere voluisset, addendum fuerat, ne sibi quidem, ante quam destitisset aliis orationes scribere, adolescentes in disciplinam esse traditos.

Callide igitur fecit quum quae de vitae parte vere dici poterant, ad totius vitae spatium transtulit. Jam si quaeritur, qua de causa loqui quam tacere, redarguere quae negare non posset, quam silentio praetermittere maluerit rem cujus in oblivionem plerosque adductos esse probe sciret, ipse suis respondeat verbis: λέγει ὁ κατήγορος ὡς ἐγὼ τοὺς ἥττους λόγους κρείττους δύναμαι ποιεῖν [1]) et ὡς διαφθείρω τοὺς νεωτέρους, λέγειν διδάσκων καὶ παρὰ τὸ δίκαιον ἐν τοῖς ἀγῶσιν πλεονεκτεῖν [2]). At in ficta accusatione Lysimachum nescio quem haec facit loquentem [3]). Itaque finxit prorsus, et quidem consulto, se talis culpae reum factum esse, ut

1) XV. 15.

2) XV. 30.

3) Lysimachum quemdam rei familiaris permutationem postulasse, tradit Pseudo-Plutarchus. At idem in ficta accusatione accusatori nomen imposuit Isocrates. Quem quum sycophantam appellare (8) et acerbissime exagitare non dubitarit, quo erat quietis studio et sycophantarum metu, vero nomine uti profecto non est ausus.

existimationem suam non ab unius sed a multorum calumniis defenderet [1]). Vixit enim Athenis, in ea urbe, cujus incolae omnibus fere qui supra vulgus sapere viderentur infesti erant atque illud inprimis metuebant, ne, si qui dicendi facultate valerent, hi in concione aut in judiciis plebi imponerent. Quod quum sciret is qui rei familiaris permutationem postulaverat, de sophistis male existimare plebem, Isocratis eloquentiae facultatem calumniatus erat [2]), i. e. eisdem verbis in eum invectus erat quae in ficta accusatione Lysimachum dicentem facit Isocrates. Orator cum causa cecidisset, quod timiditate impeditus non fecerat, ut coram populo causam diceret, id postea ita fecit, ut disciplinam suam et vitae rationem exponeret, et, quod gravissimum erat, se numquam aliis judiciales orationes scripsisse aut scribendi praecepta dedisse demonstraret. Sed magnae erat res difficultatis. Retulit enim Aristoteles, Isocratis aequalis, qui fraudem sub rhetoris verbis latentem nobis detexit, non tantum *scripsisse* Isocratem olim judiciales orationes, sed plurimos earum fasciculos a bibliopolis, quo tempore ipse Athenis vivebat, circumferri solitos [3]). Fuerit sane Aristoteles ita non amicus Isocrati, ut exaggerando majorem rhetori invidiam conflare voluerit: deducta aliqua parte, ponamus non *plurimos*, sed *multos* ejusmodi fasciculos, quibus Isocratis nomen inscriptum esset, circumlatos esse: tamen credere par est, Aristotelem quae tam fidenter asseve-

1) XV. 6.
2) XV. 5. διαβάλλοντος τὴν τῶν λόγων τῶν ἐμῶν δύναμιν —.
3) Apud Dion. Hal. in ejus de Isocrate judicio, § 18.

ravit, non temere enuntiasse, sed rem hominum sermonibus ac fama pervulgatam tradidisse. Jam vero, quum circumferri fasciculos istos omnibus esset notum, Isocrates se judiciales orationes aliis conscripsisse negare non potuit. Si palam professus esset, qui tamquam orbi vagarentur, suos esse liberos, addidisset autem, recens natos expositos esse nec quid agerent sua quidquam referre, multi patrem tam durum atque inhumanum eum credere noluissent, sed potius clam eum augendo liberorum numero operam dare putassent. Quare quod prudentis erat et cauti hominis fecit: nec negavit se esse illorum patrem nec fassus est, sed talia dicenda sibi duxit unde efficeretur, Isocratem patrem esse *non posse.*

Apparet satis gravem Isocrati causam fuisse cur accusatorem quem sibi finxerat, quantum posset, refelleret. Ceterum quod in Apologia fecit, ut contenderet nihil sibi esse commune cum judicialium orationum scriptoribus, idem qualibet data opportunitate asseverat: inglorium ac prope turpe eorum esse studium qui *περὶ τῶν ἰδίων συμβολαίων* orationes conscribant; se ab isto negotio abstinere quam potest saepissime inculcat [1]). Sic enim statuebat, cujuslibet esse hominis judiciales orationes conscribere [2]); quod autem factu facillimum esset, id etiam parum nec nisi paucis proficere. Praetera laudi et existimationi suae male consulere qui omnem in ejusmodi scriptionibus operam consumerent: esse enim satis manifestum, *τοὺς (μὲν) δικανικοὺς δοκοῦντας*

---

1) IV. 11, 12. XII. 11. XV. 3, 48—51, 228, 276.
2) IV. 12.

εἶναι ταύτην τὴν ἡμέραν μόνην ἀνεκτοὺς εἶναι ἐν ᾗπερ ἂν ἀγωνιζόμενοι τυγχάνωσι —· ἔτι δὲ τοὺς μέν, ἢν ὀφθῶσι δὶς ἢ τρὶς ἐπι τῶν δικαστηρίων, μισεῖσθαι καὶ διαβάλλεσθαι — [1]).

Qui tam male de iis quos δικανικούς appellat existimaret, tacere quam commemorare de suis erga reos et accusatores meritis maluisse, immo quantum posset, δικανικόν se umquam fuisse infitiatum esse, non est quod miremur. Neque ipse tantum negavit. Aphareus, filius ejus adoptivus, in oratione quadam contendit, μηδεμίαν ὑπὸ τοῦ πατρὸς ὑπόθεσιν εἰς δικαστήριον γεγράφθαι [2]). At patris obtrectatores plurimos eorum fasciculos circumferri testabantur. Cephisodorus autem, Isocratis aequalis et diligens auditor, nonnullas quidem ab eo scriptas esse judiciales orationes, nec tamen multas affirmavit, cui fidem se habere dicit Dionysius. Nostra quum nihil intersit nonnullasne scripserit an multas an plurimas, dum scripserit, istam sub judice litem relinquimus. Constat enim, Isocratem, quum initio aliis orationes scripsisset, postea facti poenituisse et scribere destitisse. Ne vero quis miretur, eum factitasse artem quam contemneret ac vituperaret, monendum est, accidisse Isocrati quod eligendi rejiciendive omnem facultatem adimere hominibus solet: paternis facultatibus bello Peloponnesiaco deperditis, inopia premebatur, ut gloriae minus quam rei familiari consulere cogeretur [3]).

---

1) XV. 48, 49.

2) Dion. Hal. l. l.

3) XV. 161. ὅτε γὰρ ἐπαμύνειν ἠρχόμην τοῖς ἰδίοις, ἀπολομένων ἐν τῷ πολέμῳ τῷ πρὸς Λακεδαιμονίους ἁπάντων τῶν ὑπαρχόντων ἡμῖν —.

Igitur necessitate victum sibi comparandi imposita, aliis orationes scribere instituit. Sed hoc quaestus faciendi genus multis cum molestiis et periculis esse conjunctum, mox sensit: quare omisso hoc instituto Chium commigravit ibique ludum aperuit [1]; cui quum aliquamdiu praefuisset, Athenas reversus est, ac tum denique fecit quod ab initio se fecisse narrat, ut se converteret *ἐπὶ τὸ φιλοσοφεῖν καὶ πονεῖν καὶ γράφειν ἃ διανοηθείη* [2]. Athenis scholam aperuit ediditque orationem quae *κατὰ τῶν σοφιστῶν* inscribitur, eo consilio ut et in civium suorum notitiam veniret et quid interesset inter se et ceteros eloquentiae praeceptores, quantum ipse illis praestaret, ostenderet eoque suam institutionem civibus et peregrinis commendaret [3]. In qua oratione elaboranda quum versaretur, videtur, memor periculi quod ipse in se fecerat, haec verba scripsisse: *οἵτινες ὑπέσχοντο δικάζεσθαι διδάξειν, ἐκλεξάμενοι τὸ δυσχερέστατον τῶν ὀνομάτων, ὃ τῶν φθονούντων ἔργον ἦν λέγειν ἀλλ' οὐ τῶν προεστώτων τῆς τοιαύτης παιδεύσεως* [4].

---

1) Pseudo-plut. in vita Isocr.: *σχολῆς δὲ ἡγεῖτο, ὥς τινές φασι, πρῶτον ἐπὶ Χίου.* De tempore quo Chium commigraverit, discrepant inter se viri docti. Quorum varias sententias cui cognoscere in animo est, inspiciat Sauppii de Isocrate disputationem. Zeitschrift f. Alterthumsw. 1835, p. 407. Equidem in Sauppii discessi sententiam.

2) XII. 11.

3) Ipse auctor est, se orationem illam edidisse: *ὅτ' ἠρχόμην περὶ ταύτην εἶναι τὴν πραγματείαν.* XV. 193.

4) XIII. 19.



CAPUT II.

Quoniam de Isocratis vita in praesentia satis disputatum videtur, transeundum est ad alteram propositae quaestionis partem, ut inquiramus, Isocrates qualis fuerit homo, quo ingenio, quibus moribus, quibus virtutibus quibusque vitiis praeditus. Qua in re tractanda ita versabimur ut nec Dionysii, stulti Isocratis admiratoris, judicium, nec Pseudo-plutarchi aliorumve fabellas multum curemus, sed ex ipsius Isocratis libris hauriamus ea quae hominem talem, qualis revera fuit, informare nobis videantur.

Isocrates de vitae suae instituto quod ab initio cepisset saepius exposuit. Adhibenda autem cautio est ne temere ei credamus de iis quae de se praedicat. Veluti falsa esse apparuit quae in Panathenaïco posuit, se naturae iniquitate de reipublicae capessendae consilio deterritum, protinus ad illud eloquentiae genus se applicuisse quo postea magnam sibi gloriam comparavit. Constat enim eum aliquantum temporis aliis operam navasse, antequam γράφειν καὶ πονεῖν ἃ διανοηθείη [1]) inciperet. Quocirca in vita ejus enarranda caute admodum utamur necesse est iis quae de se ipse tradit. Quum autem id agimus ut ex iis quae de se deque eloquentia sua et disciplina dixit, hominis efficiamus indolem et ingenium, nostra nihil refert, scriptorem in his referendis parum curare ordinem quo singula facta sint, nonnulla silentio praetermittere, alia infi-

1) XII. 11.

tiari. Nobis enim verba ejus perpendenda sunt, non ut cum factorum veritate conferantur, sed ut animum ostendant dicentis. Verum satis de hujus quaestionis tractandae ratione; tempus est suscepto munere fungi.

Dicit Isocrates, illud sibi semper propositum fuisse ut, reliquis argumentis rejectis, *λόγους* conscriberet *περὶ τῶν συμφερόντων τῇ τε πόλει καὶ τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι συμβουλεύοντας* [1]). Pulcre quidem haec et Socratice! Etenim ex Socratico hoc fluxit fonte, ut in eloquentiae studio inque omni institutione aut disciplina utilitatis rationem habendam esse existimaret. Sed in oratorem cadit atque in omnes omnino homines Terentianum illud: „Homo sum, nihil humani a me alienum puto." Conglomeratae et conglutinatae ita sunt diversae animi affectiones, ut plerumque non una sed plures conjunctim ad agendum impellant ac totum illud efficiant quod rei alicujus studium appellare solemus. Socratis praecepta Isocratem impulerint, ut orationes quae *περὶ τῶν συμφερόντων* essent elaboraret, aliam cur ita faceret, accessisse causam alio loco ipse nos docet. „Scripsi, inquit, *περὶ τῶν Ἑλληνικῶν καὶ βασιλικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων δι' ἃ προσήκειν ᾤμην μοι τοσούτῳ μᾶλλόν τιμᾶσθαι τῶν ἐπὶ τὸ βῆμα παριόντων, ὅσῳ περ περὶ μειζόνων καὶ καλλιόνων ἢ κεῖνοι τοὺς λόγους ἐποιούμην* [2]). Igitur quae utiliora, eadem graviora ac pulcriora ei visa sunt. Si in magnis et pulcris versaretur argumentis, putavit fore ut honore se honestarent aequales, ac laudibus prose-

---

1) XII. 2.
2) XII. 11.

querentur: itaque ad utilitatis studium gloriam accessisse apparet. Porro scripsit λόγους πολλῶν μὲν ἐνθυμημάτων γέμοντας οὐκ ὀλίγων δ' ἀντιθέσεων καὶ παρισώσεων καὶ τῶν ἄλλων ἰδεῶν τῶν ἐν ταῖς ῥητορείαις διαλαμπουσῶν καὶ τοὺς ἀκούοντας ἐπισημαίνεσθαι καὶ θορυβεῖν ἀναγκαζουσῶν [1]). Quum blandimenta illa atque orationis lumina eo consilio se adhibuisse dicat, ut gestu et voce auditores sibi applaudere cogeret, satin' significat ex hominum se pendere opinione? Socrates si rhetor fuisset, blandimenta ista aut omnino rejecisset aut adhibuisset non quo multitudinis aut intelligentium captaret plausum, sed ut cum jucundis commixta utilia in animos se insinuarent. Sed audiamus rhetorem. Ad reliquas causas quibus adductus est ut ad πολιτικοὺς λόγους se converteret scholamque aperiret, addit etiam hanc: ὅτ' ἠρχόμην πλησιάζειν τισίν, ᾤμην, εἰ δυνηθείην πλείω κτήσασθαι καὶ περιποιήσασθαι τῶν ἐπὶ τὸν αὐτὸν βίον ὁρμησάντων, ἀμφότερα δόξειν καὶ περὶ τὴν φιλοσοφίαν διαφέρειν καὶ κοσμιώτερον βεβιωκέναι τῶν ἄλλων [2]). Tollamus quae oratori tribuenda sunt, restabit ut quaestum faciendi remque augendi studium ad scribendum et erudiendum impulerit hominem. Neque vero turpe illud habendum quod, paternis quum excidisset bonis, omissa recuperare studuit, vel potius quod pauperitate coactus initio artem factitavit unde vitam sustentaret. Ne in hoc quidem reprehendendus est, quod plura conquirere se voluisse dicit quam reliqui Sophistae comparare sibi potuissent. Hoc tantum notatum velim, verius quam benignius de Isocrate judi-

---

1) XII. 2.
2) XV. 162.

caturum, qui statuat eum non gloriae tantum neque utilitatis sed nummorum etiam ratione habita et ipsum *περὶ βασιλικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων* orationes conscripsisse et ad idem dicendi genus discipulos instituisse.

Sed incido hic in lepidam fabellam, de qua, antequam ad reliqua pergimus, velut in transitu paucis videndum est. Pseudo-plutarchus narrat, Isocratem a nemine cive mercedem poposcisse [1]). Quare non poposcerit, scire cupientes docet nos alius qui de Isocratis vita egit: *ἐλάμβανε δὲ χρήματα πάμπολλα ὑπὲρ τῆς διδασκαλίας, παρὰ μὲν τῶν πολιτῶν οὐδέν, ὥσπερ γέρας τοῦτο κατατιθέμενος καὶ τροφεῖα καταβάλλων τῇ πατίδι, παρὰ δὲ τῶν ξένων χιλίας δραχμάς* [2]). Quid quod ne a peregrinis quidem mercedem accepisse videtur nisi invitus et necessitate coactus? Quum enim in insula Chio scholam aperuisset et mercedem, quam pepigisset, sibi annumerari videret, novitate rei permotus, lacrimans dixisse fertur: *ὡς ἐπέγνων ἐμαυτὸν νῦν τούτοισι πεπραμένον* [3]). Equidem haec vera esse posse non nego, dummodo ne ipsius Isocratis verba obstent quominus obscurorum quorundam hominum testimoniis acquiescamus. Nam si vera haec sunt quae de ejus liberalitate traduntur, longe secus fecit atque dixit. Videlicet liberalis fuit, civibus pecunias, quas jure poscere poterat, condonavit; et tamen de sua liberalitate nihil quidquam ipse praedicat, immo plura se conquirere studuisse quam reliqui sophistae sibi comparas-

---

1) *πολίτην δ' οὐδέποτ' εἰσέπραξε μισθόν.*

2) Anonymi *βίος Ἰσοκράτους.*

3) Pseudo-plut. Vita Isocr.

sent, profitetur. Hoc in alio quovis homine forsitan minus esset mirandum; Isocrates nec vitia sua nec virtutes dissimnlare solet, benefactis vero et meritis satis frequenter gloriatur. Atque etiamsi tanta fuisset viri modestia, ut ne verbo quidem beneficiorum quibus cives afficeret, in aliis orationibus mentionem fecisset, tamen in apologia illa quae περὶ ἀντιδόσεως inscribitur, non reticuisset quod unum maxime ad diluenda ficti accusatoris crimina valuisset, se a nemine cive institutionis mercedem poposcisse [1]). Quae cum ita sint, alteram Pseudo-plutarchi narrationem veram esse puto, alteram vero fictam eamque ex Isocratis verbis male intellectis ortum duxisse, demonstrare conabor. Atque de illa quidem non est cur multa dicam. Ut enim omittam, haud improbabile esse Isocrati, quum mercedem sibi annumerari videret, Socratis in mentem venisse, qui in servitutem se ipsum redigere dixisset quicunque institutionis mercedem postularet [2]); sed hoc in medio ut relinquam, Isocrati accidit, opinor, quod multis qui quaestus faciendi ac vitae sustentandae causa munus aliquod suscipiunt, ut non sine dolore ac taedio necessitati quae iis imponitur aliorum commodis inserviendi se submittant. Quod autem Pseudoplutarchus narrat Isocratem a civibus suis mercedem non poposcisse, in hoc primum ipse secum pugnat. Narrat videlicet idem Demosthenem aliquando adiisse Isocratem, et quum mille drachmas, quas a discipulis posceret ille, se suppeditare non posse dixisset, obtulisse

---

1) Cf. XV. 154—159.

2) Mem. I. 2, 6.

ducentas ea lege ut artis quintam partem disceret. Cui respondisse Isocratem: Nos quidem, o Demosthenes, non solemus in frustra secare operam nostram, sed quemadmodum bonos pisces totos vendimus, sic ego tibi, si in disciplinam te mihi tradere volueris, integram vendam artem." Quam indignus sit cui credatur, qui repugnantia inter sese narrare non timet, modo habeat quae narret, nemo non videt. Ceterum quae de Demosthene hic narrantur, ita se habent ut nec Demosthenem aut Isocratem ita esse locutos credere ausim, nec tamen quae commenticia puto, vera esse non posse ad probandum sit facile. Aliquanto facilius est probatu, quae de Isocratis liberalitate memorantur ficta esse et excogitata ab homine qui oratoris verba non intellexisset. Isocrates enim in Antidosi postquam conquestus est de moribus Atheniensium qui bonos cives opprimant et affligant, improbis quaecumque velint dicendi et faciendi libertatem permittant, haec addit: ὥστε Λυσίμαχος μὲν. ὁ προῃρημένος ζῆν ἐκ τοῦ συκοφαντεῖν καὶ κακῶς ἀεί τινα ποιεῖν τῶν πολιτῶν, κατηγορήσων ἡμῶν ἀναβέβηκεν, ἐγὼ δ', ὃς οὐδὲ περὶ ἕνα πώποτ' ἐξήμαρτον ἀλλὰ τῶν μὲν ἐνθένδε λημμάτων ἀπεσχόμην, παρὰ ξένων δὲ καὶ νομιζόντων εὖ πάσχειν ἐπορισάμην τὰς ὠφελείας, ὡς δεινὰ ποιῶν εἰς τηλικουτονὶ καθέστηκα κίνδυνον [1]). Legit haec quisquis fuit, qui ad cetera de Isocrate commenta novum hoc de quo agimus, addidit. Quae autem λήμματα hic significarentur, parum intellexit: credidit, qui a lucris quae Athenis honesta putarentur abstinuisset, eum a nemine Atheniensi in-

1) XV. 164.

stitutionis mercedem postulasse. At quid Isocrates significaverit verbis istis: τῶν ἐνθένδε λημμάτων ἀπεσχόμην, melius perspexisset, si recordutus esset illum paullo ante in eadem oratione idem de se praedicare his verbis: τῶν λημμάτων τῶν παρὰ τῆς πόλεως ἀπεσχόμην [1]). Cur? quia aliis, inquit, impedimento esse nolui, quominus acciperent quae a republica darentur. Manifestum ergo est, λήμματα quum dicat, intelligi eorum lucra qui rempublicam quaestui haberent. Verba autem παρὰ τῆς πόλεως idem significare atque illud ἐνθένδε, quod oppositum sibi habet παρὰ ξένων, nemo infitias ibit. Dicit igitur Isocrates, tantum abfuisse ut sycophantarum more praevaricando et cives calumniando victum sibi quaesierit ut vel ab iis abstinuerit lucris quae sectari non esset inhonestum. Jam alia exoritur quaestio. Nam quae sequuntur verba [2]) tantum non manifesto indicare videntur, eum a civibus suis nihil quidquam postulasse, quum omnia ab externis et beneficio a praeceptore se affici existimantibus oratori obvenisse audiamus. Quid enim? nemone Atheniensis Isocrati se in disciplinam tradidit? Imo satis multi, atque horum nonnulli tam bene de republica meriti, ut aureis coronis donati sint [3]). Quodsi cives Athenienses ab Isocrate sunt instituti, ipse autem ab externis omnia sua sibi obvenisse testatur, quid obstat, quominus Plutarcho in iis quae narrat creda-

1) 152. Cf. VII. 25.

2) 164. παρὰ ξένων δὲ καὶ νομιζόντων εὖ πάσχειν ἐποριζάμην τὰς ὠφελείας.

3) XV. 94.

mus? At obstat aliquid quod ad rem dijudicandam nonnihil habet momenti. Recenset Isocrates in libro quem *περὶ ἀντιδόσεως* scripsit sua in rempublicam et in singulos homines merita, de quibus postquam fuse exposuit, singulatim omnia enumerat [1]). Sed ibi ne verbo quidem liberalitatis illius, qua a nemine cive quidquam mercedis loco postularit, mentionem facit. Quum admodum senex esset, gregarii quidam Sophistae eum exagitarunt, quod reliquorum *παιδείας* everteret, suam institutionem solam dignam esse contenderet quae *παιδεία* diceretur [2]). Merito illi quidem: solebat enim Isocrates suam institutionem ita commendare ut in reliquorum institutiones quam acerrime inveheretur. Sed numquam fecit id quod reliquis Sophistis maxime nocuisset ipsiusque disciplinam omnibus commendasset, ut diceret, non eum se esse qui a civibus suis institutionis mercedem posceret. Quid si ex Antidosi non tantum effici possit, eum Athenienses gratiis ad eloquentiam instituisse, sed etiam eosdem omnium mortalium ingratissimos fuisse? Commemorat aliquo loco de amore quo se prosecuti sint discipuli. Etenim, inquit, *τοσούτων (μαθητῶν) γεγενημένων — οὐδεὶς οὐδὲν φανήσεται τῶν παρ' ἐμοὶ μεμψάμενος ἀλλ' ἐπὶ τελευτῆς ὅτ' ἤδη μέλλοιεν ἀποπλεῖν ὡς τοὺς γονέας καὶ τοὺς φίλους τοὺς αὑτῶν, οὕτως ἠγάπων τὴν διατριβὴν ὥστε μετὰ ποθοῦ καὶ δακρύων ποιεῖσθαι τὴν ἀπαλλαγὴν* [3]). Navigatio illa in quos nisi in externos cadit? valedicentium lacrimae

---

1) XV. 144—146.
2) XII. 19.
3) XV. 87.

quorum nisi exterorum fuerunt? De civibus non memorat. Attamen certo scimus in ejus discipulorum numero Athenienses fuisse, quorum ipse paullo post praestantissimos quosque enumerat [1]). Itaque de discipulorum grato in praeceptorem animo si oratorem audias loquentem, credas ingratissimos fuisse Athenienses et prorsus indignos habitos qui ob gratum animum laudarentur. Dein medio quasi loco, inter peregrinorum grati animi laudes atque eorum quae ipsi donarint commemorationem, mentio Atheniensium nonnullorum qui ejus disciplina usi sint interjicitur. Quos injuria ingratos a nobis habitos esse, quum honorificentissime de iis loquatur Isocrates, apparet. Sed quae sequuntur, iterum maculam Atheniensibus adspergere videntur: credas eos, etiamsi non ingrati fuerint, tamen verbis potius quam re factisque gratiam retulisse. Etenim *τὰς ὠφελείας* et *τὰς εὐπορίας ἁπάσας* a peregrinis sibi comparavit [2]).

Cur igitur Isocrates nunc nonnisi de peregrinis, nunc nonnisi de civibus memorat? Dixerat Lysimachus Isocratem multa et magna dona a Nicocle accepisse [3]); dixerat idem plures Isocrati fuisse discipulos quam ceteris Sophistis omnibus [4]). Utrumque vere dictum esse, affirmat orator [5]). Jam fuerintne praeter Nicoclem, qui pro lau-

1) XV. 93.

2) Cf. XV. 87, 93, 164.

3) XV. 40.

4) XV. 41.

5) A Nicocle, cui Euagorae laudationem scripserat, viginti talenta accepisse traditur. Discipulos habuit tam multos, ut Her-

dibus quibus eos ornasset, gratiam Isocrati retulerint, nos quidem, quum de hac re nihil traditum sit, ignoramus; compertum tamen habemus, uti cum Nicocle ita cum Iasone necessitudinem quandam et hospitium ei intercessisse [1]). De Lacedaemoniorum republica quum saepius quam bene existimaret, significaverit, tum Archidamum, regum alterum, talia fecit loquentem quae animum ostenderent justitiae amantissimum atque antiqua Spartanorum virtute imbutum [2]). Erant autem antiquitus qui dicerent, Archidami rogatu orationem illam ab Isocrate conscriptam esse [3]); at alii dicebant, exercitationis causa Isocratem scripsisse, ut ostenderet quomodo verba facturus esset Archidamus, si consilia daturus esset Spartiatis [4]). Utrique vere, opinor. Neque vero dubium est quin multo plures tyrannos aliosque principes, quorum virtutes fortiaque facta oratione extulisset, Isocratis amicos ac fautores fuisse pro certo affirmare liceat. Quodsi illi non ultimam visam esse laudem „principibus placuisse viris" statuimus, tamen non ita laudis cupidum fuisse credo ut, quod prorsus infructuosum foret laudaret et coleret eos unde nihil nisi laudis consortium ad se esset redundaturum. Quare quod a Nicocle *πολλὰς καὶ μεγάλας δωρεὰς* accepisse fertur, id non ita intelligendum videtur, ut praeter Nicoclem nihil ab ullo acceperit tyranno

---

mippus librum conscribere potuerit, qui inscriptus erat *περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν*.

1) Epist. VI, Cf. oratio ad Phil. scripta (V) 119.

2) Cf. oratio sexta.

3) Cf. orationis argumentum.

4) Ibidem.

vel amico potentia atque opibus valenti, latiusque patere quod de uno Nicocle memoriae est proditum, credere par est. Aliquam igitur partem τῶν ὠφελειῶν unde conquisiverit, exploratum habemus. *Externi* enim, sive tyranni illi fuerunt sive alii opibus valentes, copias ei suppeditarunt satis magnas; nec tamen omnes. At ipse asseverat, sibi τὰς εὐπορίας — ἔξωθεν ἁπάσας γεγενημένας [1]). Ita prorsus, nec est cur vere dixisse negemus, modo ne oratori et communi loquendi consuetudini quid tribuendum sit obliviscamur. Plures Isocrati quam universis Sophistis discipulos fuisse, contendit Lysimachus, Isocrate assentiente. Qui undenam profecti ad hunc se contulerint, si quaeras, Theodecten Phaselitam, Ephorum Cumaeum, Cratem Trallensem, alios aliis ex locis oriundos Athenas venisse ut ad eloquentiam ab Isocrate instituerentur, apud Dionysium aliosque legere licet [2]). Neque omnino defuerunt qui Athenis nati et in eadem qua Isocrates degentes civitate, ejus disciplina uterentur [3]). Sed aliud est, Atheniensium nonnullos ejus discipulos fuisse, aliud, tam multos, ut sine mendacii culpa dicere non potuerit, a peregrinis omnia sibi obvenisse bona. Ut hoc in tanta Sophistarum copia, qui eadem qua Isocrates aetate Athenis floruerunt, atque in tanta opinionum de optima institutione discrepantia, verisimile non est, quum praesertim δικανικοὺς λόγους contemserit orator, ita consentaneum est credere, qui opibus va-

---

1) XV. 39.

2) Cf. Westermann. Gesch. der Beredsamkeit. I. §. 50.

3) Westermann l. l.

lerent aut qui ipsi aliquando rhetoricam profiteri vellent, undecunque ad praeceptorem confluxisse qui περὶ Ἑλληνικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων orationes et ipse permultas conscriberet et ad idem eloquentiae genus institueret discipulos. Quare, quum circiter centum Isocrati discipulos fuisse tradat Pseudo-plutarchus, longe majore pro parte externos existimo numerum illum explevisse. — Si vera sunt quae disputavi, nec Pseudo-plutarcho credendum est, nec lucem desiderant quae ipse de peregrinorum erga se meritis hic illic memorat orator. Etenim in tanto discipulorum numero qui aliunde profecti Athenas venissent, quum de discedentium grato in praeceptorem animo commemorandum erat, peregrinorum tantum facit mentionem. Rursus demonstraturus se adolescentes non depravasse, omissis peregrinis, eos qui Athenis nati ibique viventes sua usi essent disciplina, enumerat. De externis enim judices nihil compertum habebant. Si autem quaeris, unde acceperit παμπληθῆ τὴν οὐσίαν, tyranni atque omnino externi homines magnum illi struxerunt acervum, Athenienses non nisi perpauca grana contulerunt. Vere igitur dicit, ab externis se omnes facultates suas accepisse.

Ceterum aliud est, refellere scriptorem qui Isocratis verba parum intellexit, aliud ac prorsus diversum, Socratis discipulo vitio dare, quod mercedem institutionis accipiendo secus quam ille fecerit atque a Socratis non flocci pecuniam facientis more et sententia desciverit. Suum utrique fuit propositum pro utriusque indolis morumque diversitate. Socrates enim hoc semper et unice egisse videtur, ut hominum stultitiam et igno-

rantiam convinceret, pravas exstirpando notiones quasi terram culturae aptam redderet, ad boni scientiam, i. e. ad virtutem, cives et hospites adduceret. Neque consulto ac deliberato tale vitae institutum ceperat. Divino mentis afflatu incitatum atque impulsum, seu, quod Graece melius sonat, ab oraculo Delphico admonitum atque instigatum se esse persuasum sibi habebat. Itaque prae Deorum mandato omnia neglexit et contemsit nec intra scholae cancellos se continuit, sed in foro, in tabernis, in officinis, ubicumque ipsi daretur locus, artem quam lepide a matre sibi traditam dicebat, exercuit. In talem hominem, deorum jussu se facere opinantem quaecunque faceret, profecto non cadit quaestus et lucri amor. Veri inveniendi atque demtis opinionum involucris proferendi studio unice intentus, duram servitutem servire existimat qui lucro inhiantes mercedis et famae magis quam veritatis rationem habere cogantur. Accedebat quod corpore erat robusto, frigoris et inediae patiens, animo ad voluptates et delicias non proclivi. Quae si reputamus, non est quod miremur, victu contentum tenui nec ultra quidquam appetentem aetatem degisse philosophum. Sed ut illud non mirandum sit, hoc tamen verissimum est, parvum semper fuisse numerum eorum quibus pauca bona, si plura acquirere possent, beatae vitae sufficere viderentur. Omitto philosophos, quamquam non pauci horum, uti Cicero et Seneca, Stoicorum placita scriptis magis commendarunt quam vita et factis secuti sunt; sed omitto illos qui quod Socrates fecit faciunt, ut majora atque altiora appetentes, nulla commoditatis aut utilitatis suae ratione

habita, illam quam numen divinum aut ipsorum ingenium sibi monstret insistant viam. Loquor de iis hominibus quorum ex numero unus fuit Isocrates, qui nec majora quam vulgus concupiscunt, nec suspicantur, stulte et perverse agere qui praeter virtutem in bonis quidquam ponant. Socrates autem Sophistarum istam consuetudinem exagitaverat quidem, perverse tamen aut injuste eos facere numquam dixerat. Quid multa? Quod in tali ingenio, in ejusmodi moribus aliter fieri vix potuit nec improbandum est, id fecit Isocrates, ut, quod sprevisset praeceptor, vi et necessitate quadam naturae adactus sectaretur. Tantum enim aberat ut paucis vivere contentus more Socratis posset, ut, nisi amplae ipsi obvenirent copiae, misere vivere sibi videretur. Atque ne contendere quod argumentis probari nequeat videar, age, qualis fuerit homo, rursus ex ipsius scriptis efficiamus.

Isocrates natura erat timidus, ad gerendam rempublicam, ad verba pro concione facienda haud idoneus [1]). Est autem naturalis quaedam necessitudo timiditatem inter et otii quietisque amorem. Utrumque in Isocrate fuit conjunctum; magni se facere τὴν ἡσυχίαν καὶ τὴν ἀπραγμοσύνην ipse affirmat [2]). Timidus autem qui est otiique amans, idem fere est ad mollitiam et luxuriam proclivis. Quippe omnia aspera ac dura reformidat, ea expetit quae sensus dulcedine quadam permulceant, quae languidas, unde diffluit animus, afferant voluptates. Quodsi ita se res habet, equidem facile fidem habeo Pseudo-

1) XII. 10.
2) XV. 151.

plutarcho, cujus de Isocratis mollitia haec sunt verba: *ἐγένετο δὲ καὶ πρὸς τὰ ἀφροδίσια καταφερὴς ὡς ὑποπάστῳ παρειλκυσμένῳ ἐν τῇ κοίτῃ χρῆσθαι κρόκῳ διάβροχον ἔχοντα τὸ προσκεφάλαιον.* Nec dubito quin recte statuant qui ut ex ungue leonem, ex hac narratiuncula Isocratis indolem cognoscere sibi videantur. Jam qui animo parum firmo est contra voluptates, fieri potest ut tenui victu, si non contentus, at coactus aetatem degat. Non enim soli virtuti Di praeposuerunt sudorem; ardua ut plurimum est via qua ad vitae copias et facultates adipiscendas perveniri possit. Quem indoles fert ad sequendam vitam deliciis et luxu affluentem, saepe accidit ut prius quam ad metam pervenerit, eum vires deficiant et propter ipsam mollitiam otiique amorem „humi serpat tutus timidusque procellae." Accesserint ei necesse est aliae quaedam naturae opportunitates, ut cujus pater bello Peloponnesiaco omnes amisisset facultates, is ne nimis magnas possidere opes civibus suis videretur, aliquando sollicitus esset futurus [1]). Erant autem duae praecipue res quae ad agendum et laborandum impellerent adjuvarentque hominem ceteroquin otii et deliciarum amantem. Nam primum nec corporis infirmitas aut adversa valetudo neque animi morbus aliquis eum impediebant, quominus studiis suis totum se dederet. Qua est simplicitate et cupiditate de se commemorandi, *φύσεως* suae hoc in genere praestantiam laudat; *ἐγὼ*, inquit, *μετέσχηκα τῶν μεγίστων ἀγαθῶν ὧν ἅπαντες ἂν εὔξαιντο μεταλαβεῖν, πρῶτον μὲν τῆς περὶ τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν ὑγιείας, οὐχ ὡς ἔτυχον, ἀλλ' ἐναμίλλως τοῖς μάλιστα περὶ*

1) XV. 31, 154.

ἑκάτερον τούτων εὐτυχηκόσιν — [1]). Corporis illa animique sanitas et hinc orta tranquillitas serenitasque quanti cum in omni vitae actione tum in artium studiis facienda sint, non est quod moneam. Huc autem accedebat aliud τῆς φύσεως bonum, quo identidem gloriatur, ingenii summa facilitas et celeritas. Narrat se puerum omnibus praestitisse discipulis [2]). Quoties naturae conqueritur iniquitatem, quod desint sibi quibus oratori concionanti opus est, vox et latera et fiducia, ipse tamen continuo hunc consolatur dolorem: desint sane illa naturae bona, tamen τοῦ φρονεῖν εὖ — ἀμφισβητῶ καὶ θείην ἂν ἐμαυτὸν οὐκ ἐν τοῖς ἀπολελειμμένοις ἀλλ' ἐν τοῖς προέχουσι τῶν ἄλλων [3]). Facile equidem fidem habeo talia asseveranti. Testes mihi sunt ejus orationes. Non enim puto negari posse quin in stilo et scribendi genere, quo quis utatur, sit mentis ingeniique aliqua effigies. Qui facile semper et dilucide, apte et simpliciter quaecumque vult dicendo scribendove exprimit, is fieri non potest quin celeriter et cum facilitate res percipiendi rerumque notiones conformandi facultate valeat. Isocrates autem sive res gestas enarrat, sive consilia impertit, sive laudat sive vituperat, sive aliud quodlibet agit, nec umquam deest lucidus ordo nec invita rem bene perceptam verba sequuntur; unde efficio non minorem in eo fuisse percipiendi intelligendique facilitatem quam eloquendi et exprimendi quae percepisset et cogitasset. Dicat quis, credibile vix esse, qui in una Panegyrica oratione conscribenda decem

1) XII. 7.
2) XV. 161.
3) V. 82. Cf. XII. 8, 9. Epist. I. 9, 10.

consumserit annos, eum mentis facilitate praeditum fuisse. At scribendi generi quod tribuendum est, id ingenio vitio non est dandum. Nitidum enim illud et comptum dicendi genus, floridum et ἐνθυμημάτων atque ἰδεῶν plenum, quantum laboris et assiduitatis poposcerit, ut non ullum verbum vacaret, singuli verborum ambitus artificis ostenderent manum, perspectu est facile. Ceterum quod ingenii facilitatem non semper comitatur, mentis acies et judicii acumen, quo non tantum rei cujusque notio per se spectata, ab omni aliarum rerum admixtione secreta, facile arripitur, sed etiam quae differant inter se, quare et quomodo differre putanda sint, dispicitur, hoc igitur naturae beneficio Isocrates etiam caruit. Quod cum ex ejus de virtutis utilitate judicio, quod supra explicavimus, abunde patet, tum vero maxime ex iis, quae de republica et de optima reipublicae forma dixit, efficitur. Temporis quae conjunctionem habent, ea semper fere ita cohaerere ei videntur tanquam si causae necessitudine contineantur. Qua de re mox plura dicendi erit locus.

Alterum autem nec exiguum adminiculum, quo mollis animus ad agendum enitendumque non adjuvaretur tantum sed vehementissime impelleretur, positum erat in gloriae studio et ambitione, quae utrum in Cicerone major an in Isocrate fuerit dubites. Hoc certum est, in utroque illorum cum gloriae studio, quod magnorum etiam est virorum, vanitatem quae sibi unice placeat quaeque ex hominum, levissimorum etiam, opinione et judicio pendeat, arctissime fuisse conjunctam. Gloriae studio uterque ad rempublicam capessendam est im-

pulsus; sed par quum esset utrique studium, dispar fuit rerum exitus. Isocrates enim indolis vitio ab incepto desistere coactus est; assecutus est quod sibi proposuerat Cicero. Graecus homo quod vix minus gloriosum foret, id sibi faciendum putavit, ut ad eloquentiam se totum transferret eam quae in communibus et publicis versaretur argumentis [1]). Uterque veram sibi peperit gloriam atque in maximam plurimorum venit admirationem. Sed magnopere dolendum est quod exspectare neuter potuit dum admirationis ac famae pars satis larga, quae iis debebatur, ab hominum sibi tribueretur justitia. Alter postquam magnae calamitatis ac belli civilis metu patriam liberavit, Haec ego, exclamat, feci, Quirites; ego, Patres conscripti, togatus consul, per me haec omnia tam pulcra et praeclara perfeci. Alter autem quam se jactare solet! ἐγὼ γὰρ πρὸς μὲν τὸ πολιτεύεσθαι πάντων ἀφυέστατος ἐγενόμην τῶν πολιτῶν· οὔτε γὰρ φωνὴν ἔσχον ἱκανὴν οὔτε τόλμαν δυναμένην ὄχλῳ χρῆσθαι καὶ μολύνεσθαι καὶ λοιδορεῖσθαι τοῖς ἐπὶ τοῦ βήματος καλινδουμένοις — credas fabulam quae est de vulpe, de Isocrate esse narratam — τοῦ δὲ φρονεῖν εὖ καὶ πεπαιδεῦσθαι καλῶς, εἰ καί τις ἀγροικότερον εἶναι φήσει τὸ ῥηθὲν, ἀμφισβητῶ καὶ θείην ἂν ἐμαυτὸν οὐκ ἐν τοῖς ἀπολελειμμένοις ἀλλ᾽ ἐν τοῖς προέχουσι τῶν ἄλλων [2]). Talia, quae si saepius eundem praedicantem audias, bilem movent nauseamque faciunt, centies Isocratis legenti libellos occurrunt. De rebus quum loquitur gravissimis, derepente sui injicit mentionem, quam sincero sit

---

1) XII. 10, 11.
2) V. 81.

animo, quam veri amans, qui quae dicere invidiosum sit aut periculosum, dum salutaria sint, boni medici instar reticere nolit [1]): haec igitur virtus ut omnibus probe nota sit cupit, atque hanc ob causam saepissime eam commemorat. Idem in literis, quas ad Timotheum, Heracleae tyrannum, et in iis quas ad Mytilenaeorum magistratus dedit, quum eos rogat ut amicos quosdam suos benigne excipiant et votorum compotes reddant, praeter reliqua se hoc etiam ab iis petere addit: (καὶ) γενέσθαι φανερὸν ὅτι μέρος τι καὶ δι' ἐμὲ γίγνεται τῶν δεόντων αὐτῷ [2]). Atque ut bona plerumque malis intermixta videmus, ita in Isocrate Socraticae institutionis bonitas quantis arrogantiae et vanitatis maculis polluatur, animadvertere licet. Fuerat haec Socratis sententia, tam ceteris in rebus quam in adolescentium institutione utilitatem semper esse spectandam, neque ea discenda aut docenda esse quae cognita nihil quicquam homini proficerent. In eandem discessisse sententiam ejus discipulum, supra ostendimus. Sed permultum interest, utrum Socratem audiamus an Isocratem, qualis institutio utilis esse sibi videatur, exponentem, aliorumve falsas opiniones refutantem. Dubito equidem num umquam dixerit Socrates quod apud Platonem saepe dicens inducitur, se non id agere ut suam, sed ut philosophiae sententiam tueatur, nec facere se posse quin quae magistra illa enuntiare jubeat, ea, quamvis displiceant audientibus, proloquatur. Non exstant, quod sciam, in Xenophontis libro eadem

---

1) VIII. 39.

2) Epist. VII. 13. VIII. 10.

aut similia verba. Neque tamen dubito quin Plato, si haec finxerit, Socratis animum et voluntatem optime expresserit. Summum enim veritatis amorem ac veri inveniendi studium in Socrate fuisse, satis superque ex dictis ejus factisque quae Xenophon memoriae prodidit apparet. De Isocrate autem non vereor ne iniquum sit eorum judicium, qui sui multo magis quam veritatis amore ad perstringenda et exagitanda aliorum studia et disciplinas eum impulsum esse statuant [1]). De veteribus quum disputat philosophis, de Gorgia et Protagora, *περιττολογίας ὁμοίας ταῖς θαυματοποιίαις* vocat eorum de rerum natura placita [2]). Eristici quid agant si quaeras, Nihil aliud, inquit, quam ut quaestui habeant adolescentes; *περιττολογίαι* et *θαυματοποιίαι* horum etiam sunt studia [3]). Alio loco Antisthenem et Platonem valde sibi ipsos placere dicit, quum de argumentis paradoxis et absurdis probabiliter disputant [4]). Sed Platonis quum perstringit doctrinam, aut parum cognitam eam habuit aut, tanquam in re futili et digna quae contemnatur, curam non ponendam esse in ea putavit. Dixerat enim Plato: *ὡς ἀνδρία καὶ σοφία καὶ δικαιοσύνη ταὐτόν ἐστι;* sed quartam adjunxerat virtutem, *τὴν σωφροσύνην*, quam utrum ob inscientiam an

1) Quorum unus est Sauppius, acri judicio vir, qui brevissime de Isocrate quid sibi existimandum videretur, exponens, suam his verbis aperuit sententiam: „Nur was er denkt und will, ist Lobes und Strebens werth, was ihm zu erreichen unmöglich ist, ist werthlos und unnütz.“ Z. f. A. 1835, p. 404.

2) XV. 269.

3) X. 6, 7.

4) X. 1.

propter negligentiam reliquarum choro non adjunxerit Isocrates, nescio. Alio denique loco narrat calumniatos se esse gregarios quosdam sophistas *τῶν καὶ πάντα φασκόντων εἰδέναι καὶ ταχέως πανταχοῦ γιγνομένων*: qui quum de poëtis dissererent, de Homero imprimis et Hesiodo, *οὐδὲν μὲν παρ' αὐτῶν λέγοντες τὰ δ' ἐκείνων ῥαψῳδοῦντες καὶ τῶν πρότερον ἄλλοις τισὶν εἰρημένων τὰ χαριέστατα μνημονεύοντες*, — de poësi igitur quum sermo injectus esset, eorum unus audacissimus qui esset, oratorem calumniari ausus erat. Dixerat enim non placere talia Isocrati, quippe qui praeter suam institutionem nihil quicquam probaret et in delirantium referret numerum quicunque a se non essent instituti [1]). Isocrates quum negare non posset se omnes omnium evertere institutiones et *σοφιστήν* illum vera locutum esse, quo artificio usus sit ne nimis durum sophistae de sophistis suum esse videretur judicium, legat cui legere lubet quae adversariorum criminationi opponit [2]). Quanti autem faceret poësin et poëtas rhetor noster, satis manifeste haec declarant verba: De Homero et Hesiodo ceterisque poëtis *αὖθις ἐροῦμεν, ἢν μή με προανέλῃ τὸ γῆρας ἢ περὶ σπουδαιοτέρων πραγμάτων ἔχω τι λέγειν ἢ τούτων* [3]). Ceterum quandocumque non id agebatur ut aliorum artem aut disciplinam in contemtum vocando suam extolleret, satis aequa erant ejus de illorum institutione judicia. Cujus rei documento sunt quae in libro qui ad Nicoclem inscribitur posuit. Nicocli auctor est ut et poëtarum

---

1) XII. 17 sqq.
2) XII. 26 sqq.
3) XII. 33, 34.

et sophistarum praestantissimum quemque ad se arcessat, poëtarum ut sit auditor, sophistarum discipulus [1]); quin laudandos censet poëtas propter utilia consilia praeceptaque quae versibus comprehenderint [2]). Neque est quod miremur, poëtarum libros ab utilitate magis quam a pulcritudine ei se commendasse. Isocrates enim fuerit sane rhetor illustris, tantum aberat ut divino spiritu, quo incitante canere poëtae dicuntur, esset afflatus, ut rogatus, qualis sibi poëtarum furor esse videretur, delirantium esse insanum furorem sine dubio responsurus fuisset. Quocirca poëtarum nonnullos quum laudat, laudat eorum sapientiam, reliqua silentio praetermittit. Praestantissimos quosque maxime operam dedisse existimat ut τὰς καλουμένας γνώμας venuste exprimerent [3]). Comicos autem poëtas appellat improbos [4]); Homerum et tragicos dignos esse admiratione

1) II. 13.

2) II. 42, 43, 44.

3) II. 44.

4) Constat comicos rhetorem satis acerbe perstrinxisse et dicteriis laesisse. Quocirca mirum non est, improbos eos ab Isocrate appellari. Praeter alia jocorum ansam praebere solebat αὐλοποιῶν familia quam Isocratis pater, Theodorus, aluerat. In Strattidis Atalantes fragmento (apud Athenaeum p. 592) Theodori filio cognomen datur αὐλοτρύπη. Unde efficiendum existimat Halbertsma (Quaest. Isocr. Mnem. 1855, p. 218) ipsum Isocratem αὐλοποιοὺς aluisse. Equidem non intelligo cur hac in re comico poetae qui jocandi causa paternum quaestum ad filium transtulit, potius credendum sit quam Dionysio et reliquis qui de Isocratis vita egerunt, cum praesertim, teste ipso Halbertsma, fragmentum illud corruptissimum ad nos pervenerit et Isocrates in Antidosi ne verbo quidem de hoc fonte, unde copias suas

censet: quare? quod prudenti consilio usi tale poësis genus tractaverint quod ad hominum naturam optime esset accommodatum: ὁ μὲν γὰρ τοὺς ἀγῶνας καὶ τοὺς πολέμους τοὺς τῶν ἡμιθέων ἐμυθολόγησεν, οἱ δὲ τοὺς μύθους εἰς ἀγῶνας καὶ πράξεις κατέστησαν, ὥστε μὴ μόνον ἀκουστοὺς ἡμῖν ἀλλὰ καὶ θεατοὺς γενέσθαι [1]). Nimirum intellexisse Homerum et tragicos, ὅτι δεῖ τοὺς βουλομένους ἢ ποιεῖν ἢ γράφειν τι κεχαρισμένον τοῖς πολλοῖς μὴ τοὺς ὠφελιμωτάτους τῶν λόγων ζητεῖν ἀλλὰ τοὺς μυθωδεστάτους· ἀκούοντες μὲν γὰρ τῶν τοιούτων χαίρουσι, θεωροῦντες δὲ τοὺς ἀγῶνας καὶ τὰς ἁμίλλας ψυχαγωγοῦνται [2]). Isocratem igitur si audias, Homerus et tragici non aliam ob causam in inveniendo et eloquendo elaborarunt nisi „populo ut placerent quas fecissent fabulas.'' Illorum magnitudinem sua metitur mediocritate et judicio a vulgari trutina suspenso. Ceterum vix opus est ut moneam, in Isocratis de poëtis judicio idem illud cerni utilia sequendi commendandique studium quod ex Socratis fluxisse disciplina supra demonstrare sum conatus; quamquam ideo non ausim contendere Socratem non quo iis delectaretur, sed eo tantum consilio quo legendos eos esse censebat ejus auditor, pervolutasse τῶν πάλαι σοφῶν ἀνδρῶν libros. Socrate certe sunt digna quae Isocrates sine ira ac studio ad Nicoclem scribit: de ingenii animique eruditione dissensionem quandam esse inter philosophos, i. e. sapientiae praeceptores,

---

hauserit, memoret. Quodsi divitiarum pars ei ex αὐλοποιῶν opera rediisset, dicere non potuisset se ab externis omnia accepisse.

1) II. 49.

2) II. 48.

omnium tamen consensu hunc esse institutionis finem, ut *βουλεύεσθαι* discant discipuli. Quare cavendum esse Nicocli, ne mentem suam erudiendam credat *τοῖς μηδὲν γιγνώσκουσι τῶν δεόντων.* Etenim *ὁ μηδὲν ὢν αὐτὸς χρήσιμος οὐδ' ἂν ἄλλον φρόνιμον ποιήσειε* [1]).

Praeclare haec, quae non dicit ut sibi laudem, sed ut alteri bona consilia impertiat. Qualis ipsi optima esse videatur institutio, ne verbo quidem significat. Quid enim? Ipsius hic non agitur gloria. At in Apologia illa, qua se suamque institutionem ab adversariorum calumniis defendit, quanta est jactantia, quantum apparet se efferendi sibique omnia assumendi studium! Ac primum quidem demonstrat, orationem *πάντων τῶν ἐνόντων ἐν τῇ τῶν ἀνθρώπων φύσει πλείστων ἀγαθῶν αἴτιον εἶναι.* Quod quomodo probare conetur, qui scire cupiat, ipsam orationem legat et rhetoris cognoscat ampullas [2]). Summa huc redit, ut oratio (*λόγος*) sit *καὶ τῶν ἔργων καὶ τῶν διανοημάτων ἁπάντων ἡγεμών*, et ut ea plurimum utantur *οἱ πλεῖστον νοῦν ἔχοντες.* In oratione igitur omnia posita sunt, in qua ita elaborandum esse ut verbis artificiose compositis et ad rhetorices praecepta conformatis a simplici et vulgari dicendi consuetudine ad quaesitam elegantiam traducatur, e dictis sponte efficitur. Tum oritur quaestio, qualis sit disciplina illa quae revera eloquentes reddere possit juvenes? „Mea haec ars est, inquit: quum enim sint *τρόποι τῶν λόγων οὐκ ἐλάττους ἢ*

---

1) II. 51 sqq.
2) XV. 253 sqq.

τῶν μετὰ μέτρου ποιημάτων[1]), alii in alio genere et in aliis orationum argumentis versantur. Sunt autem nonnulli *οἳ τῶν μὲν προειρημένων οὐκ ἀπείρως ἔχουσι, γράφειν δὲ προῄρηνται λόγους οὐ περὶ τῶν ὑμετέρων συμβολαίων, ἀλλ' Ἑλληνικοὺς καὶ πολιτικοὺς καὶ πανηγυρικούς, οὓς ἅπαντες ἂν φήσειαν ὁμοιοτέρους εἶναι τοῖς μετὰ μουσικῆς καὶ ῥυθμῶν πεποιημένοις ἢ τοῖς ἐν δικαστηρίῳ λεγομένοις.* Quodsi quis in ejusmodi orationes elaborandas incumbit, is non tantum non *βλαβεροῖς χρῆται τοῖς λόγοις, ἀλλὰ τοιούτοις οἵοις οὐδεὶς ἄλλος*[2]). Quod nisi rem ita se habere vobis omnibus, inquit, probavero, gravissima quominus afficiar poena non recusabo. Age, cujusmodi sint quas ego in hoc genere conscripsi orationes, ipsis testibus adhibitis cognoscere licet." Recitantur deinde orationum nonnullarum particulae, brevi de singulis enarratione adjecta. Quibus expositis putet quis satis jam rhetorem disciplinam suam commendasse atque ab adversariorum calumniis defendisse; sed egregie fallitur qui ad secundum fabulae actum quum pervenerimus, jam illud „vos plaudite" se auditurum putet. Oratoribus quantum praestet orator, audivimus; nunc quantum aliis quibusdam antecellat, ostendetur.

Pergit ita: *Οἶμαι δὴ πάντας ἂν ὁμολογῆσαι τοὺς νόμους πλείστων καὶ μεγίστων ἀγαθῶν αἰτίους εἶναι τῷ βίῳ τῷ τῶν ἀνθρώπων.* Sunt igitur leges affinitatis quodam vinculo cum orationis facultate conjunctae. Nam plurima beneficia et oratione et legibus in genus humanum conferuntur. Sed leges singulis tantum civitati-

---

1) XV. 45.
2) XV. 51.

bus prosunt; *εἰ δὲ τοῖς λόγοις πείθοισθε τοῖς ἐμοῖς, ὅλην τὴν Ἑλλάδα καλῶς ἂν διοικοῖτε καὶ δικαίως καὶ τῇ πόλει συμφερόντως*. Deinde Graecorum et barbarorum qui valeant ad leges scribendas infinitus est numerus; *εἰπεῖν δὲ περὶ τῶν συμφερόντων ἀξίως τῆς πόλεως καὶ τῆς Ἑλλάδος οὐκ ἂν πολλοὶ δυνηθεῖεν*, iique tanto pluris aestimandi sunt, quanto major est horum inopia quam eorum qui leges scribere possunt. Praeterea leges civitati dare non est magnae res difficultatis. Tantus enim, tam infinitus est earum quae jam latae sunt numerus, ut supervacuus sit qui in novis excogitandis insumatur labor, quum praesertim antiquissimae quaeque maxime laudentur. Nulla magnopere opera adhibita, quas apud alios populos vigere et praestantia se commendare videbit, colliget quicumque cupiet legislatoris fungi munere. At in oratione desideratur *τὸ καινῶς λέγειν*; quod ne frustra desideretur, quum maxima argumentorum copia jam ab aliis occupata sit, summopere est cavendum. Quae cum ita sint, apparet multo majores quam legislatoribus laudes tribuendas esse *τοῖς τὸ χαλεπώτερον ἐξεργάζεσθαι δυναμένοις* [1]).

Pergit: *Ἀλλὰ μὴν καὶ τῶν ἐπὶ τὴν σωφροσύνην καὶ τὴν δικαιοσύνην προσποιουμένων προτρέπειν ἡμεῖς ἂν ἀληθέστεροι καὶ χρησιμώτεροι φανεῖμεν ὄντες*. O pulchram, exclamat, illorum virtutem, ceteris hominibus ignotam, de qua inter eos ipsos, qui ad eam se impellere homines dicunt, dissensio est. At ego ad eam adduco virtutem quae agnoscitur ab omnibus. Neque vero satis habeo *τῇ δόξῃ τῇ τῶν ὀνομάτων* paucos quosdam ad meam allicere

1) XV. 76—79.

disciplinam, sed toti adeo civitati ea suadeo quae et cives et reliquos Graecos beatissimos sint redditura [1]).

Quinam sint quos hoc loco insectetur Isocrates, etsi certo sciri non potest, tamen proxime a vero mihi abesse videntur qui Platonem, omnium τῶν ἐπ' ἀρετὴν προτρεπόντων celeberrimum, praecipue ab eo perstringi existimant. Quod caput erat Platonicae de virtute doctrinae, quatuor virtutes ita inter se esse conjunctas ut earum unam qui haberet, is omnes haberet, id quale tandem esset, Isocratis intelligentia capere non poterat; cavillandi autem et exagitandi, quae non intelligebat, abunde ei praebebant materiem. Praeterea Plato, si quis alius, nonnisi τῇ δόξῃ τῇ τῶν ὀνομάτων, verborum quibus in explicanda philosophia utebatur gravitate et splendore, ad se alliciebat discendi cupidos, nec eloquentiae aut alius cujusdam artis profitebatur se praeceptorem, qui mercede accepta juvenes institueret. Quare invidiose in illum haec dicta esse puto: „Alliciant ad se verborum splendore privatos quosdam; ego numquam id egi ut privatos mihi conciliarem meaeque disciplinae. In reipublicae enim luce versari neque paucis hominibus, sed toti civitati quae facienda sint praecipere malo." Quodsi in hanc partem ejus verba interpretanda sunt, acerbius quam verius dicta videntur.

Sed redeat unde aberravit disputatio. Agetur ultima fabulae pars. Rejectis aliorum de philosophia opinionum commentis, se solum philosophiam, quae digna hoc nomine sit, profiteri demonstrabit rhetor: ἐπειδὴ τὴν καλου-

1) XV. 85.

μένην ὑπό τινων φιλοσοφίαν οὐκ εἶναι φημί[1]), — *προσήκει τὴν δικαίως ἂν νομιζομένην ὁρίσαι καὶ δηλῶσαι πρὸς ὑμᾶς*[2]). Non hoc a natura homini est tributum, ut scientiam (*ἐπιστήμην*) talem acquirat, quam si teneat, quid faciendum dicendumque sit sciat[3]); quid optumum factu dictuque sit, conjectura est assequendum. Quocirca sapientes appellandos arbitror eos, qui opinando et conjiciendo plerumque in optimum illud delabantur (*τοὺς ταῖς δόξαις ἐπιτυγχάνειν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῦ βελτίστου δυναμένους*); philosophos autem *τοὺς ἐν τούτοις διατρίβοντας ἐξ ὧν τάχιστα λήψονται τὴν τοιαύτην φρόνησιν*. Est igitur philosophus, qui conjiciendi non arte aut scientia, quae non cadunt in homines, sed calliditate quadam seu peritia valet.

Isocratem ex Socratis doctrina et sermocinandi consuetudine haec ita hausisse ut detorqueret immutaretque quae non intelligeret, nunc monuisse, quoniam supra pluribus ea de re disputavi, satis habeo. Sed alia hoc loco exoritur quaestio. Sint philosophi ii qui bene conjicere vel opinari didicerint: quaeritur a quonam, qua ratione, qua disciplina ad id sint instituti? Ad hanc quaestionem ita respondet Isocrates, ut primum aliorum convincat errores et stultitiam, deinde veram monstret

---

1) Ab eristicis enim atque iis qui ad geometriae aut astronomiae cognitionem instituerent juvenes, omnem abjudicandam esse philosophiam paullo ante dixit (266).

2) 270.

3) Isocrati neganti eorum quae facienda sint esse scientiam, ob oculos versabatur, opinor, Platonis de virtute, quae eadem esset sapientia, doctrina.

viam, qua ad philosophiam sit perveniendum. Tantum enim abest ut omnes de rationis imbecillitate et de tenebris menti humanae offusis ei assentiantur, ut quidam contendere audeant virtutem (i. e., facultatem quid *faciendum* sit conjectura assequendi) esse scientiam: quare improbos etiam homines et qui mala omnino ad virtutem sint indole, doceri virtutem posse. Confutanda est nimia eorum, qui talia proferre non verentur, audacia: ἡγοῦμαι δὲ τοιαύτην (μὲν) τέχνην, ἥτις τοῖς κακῶς πεφυκόσιν ἀρετὴν ἐνεργάσαιτ' ἂν καὶ δικαιοσύνην, οὔτε πρότερον οὔτε νῦν οὐδεμίαν εἶναι, τούς τε τὰς ὑποσχέσεις ποιουμένους περὶ αὐτῶν πρότερον ἀπερεῖν καὶ παύσεσθαι ληροῦντας πρὶν εὑρεθῆναί τινα παιδείαν τοιαύτην —[1]). Satis invidiose haec dicta sunt, sed recidunt in ipsum Isocratem quae in alios contorquet tela. Philosophiam enim ita definivit ut esset non ars illa quidem, sed tamen prudentia quaedam, quam adeptus philosophus faceret diceretque quae oporteret, quum prius eadem nec facere nec dicere posset. Disci ergo potest philosophia. Quod si ita est, quid obstat quominus discant ii qui mala ad virtutem sint indole et prudentiam illam, in qua totam virtutem positam esse censet, sibi acquirant. Qua si potiti erunt, erunt sapientes, erunt probi adeo οἱ κακῶς πρὸς ἀρετὴν πεφυκότες. Haec atque hujusmodi alia si quis objiceret Isocrati, responderet, opinor, se adeo poenitere ingenii sui, ut sine indolis bonitate institutionem disciplinamque nihil quicquam proficere, persuasum sibi haberet[2]). Si autem

1) XV. 274.
2) V. 81, 82.

aliquis ex eo quaereret, quinam sint *οἱ ληροῦντες* in quos tam acriter invehatur, responderet, credo, eos esse qui *τῇ δόξῃ τῶν ὀνομάτων* alliciant ad se juvenes [1]), qui scientia contineri virtutem statuant [2]), qui una scientia vel sapientia omnes virtutes tamquam vinculo quodam contineri asseverent [3]); a Platone imprimis has ineptias et delirantium fabulas inventas esse scriptisque divulgatas." Quae si responderet Isocrates, At inter te, diceret ille, et Platonem nihil interest praeter verborum differentiam. Utrique enim omnes omnino homines ea facturi videntur quae optima factu esse cognorint; sed ille certam eorum esse scientiam contendit, tu probabili conjectura, quum verum quid sit nesciamus, ad agendum homines impelli putas. Illud autem te fugit, quod unum maxime ad impugnandam Platonis valet doctrinam, fieri posse ut aliquis plenam et absolutam scientiam eorum quae factu optima sint, sibi acquisiverit, nec tamen quidquam eorum facere velit quae optima esse intellexerit. Verum hoc quidem tum nondum explanatum erat ab Aristotele [4]):

---

1) XV. 84, 85.

2) X. 1.

3) X. 1.

4) Arist. Eth. Nic. II. 3. *Ἔτι οὐδ' ὅμοιόν ἐστι ἐπὶ τῶν τεχνῶν καὶ τῶν ἀρετῶν· τὰ μὲν γὰρ ὑπὸ τῶν τεχνῶν γινόμενα τὸ εὖ ἔχει ἐν αὐτοῖς, ἀρκεῖ οὖν ταῦτά πως ἔχοντα γενέσθαι· τὰ δὲ κατὰ τὰς ἀρετὰς γινόμενα οὐκ ἐὰν αὐτά πως ἔχῃ, δικαίως ἢ σωφρόνως πράττεται, ἀλλὰ καὶ ἐὰν ὁ πράττων πως ἔχων πράττῃ, πρῶτον μὲν ἐὰν εἰῶδς, ἔπειτ' ἐὰν προαιρούμενος δι' αὐτά, τὸ δὲ τρίτον καὶ ἐὰν βεβαίως καὶ ἀμετακινήτως ἔχων πράττῃ. ταῦτα δὲ πρὸς μὲν τὸ τὰς ἄλλας τέχνας ἔχειν*

quare venia tibi danda, si doctrinam, quae ad vitae veritatem non est accommodata, non idoneis illis quidem rationibus, at pro viribus tamen refutasti.

Sed his missis ad propositum revertamur. Agebatur autem hoc, ut Isocratis de vera philosophia nosceretur sententia. Sit igitur philosophus, qui in iis versetur artibus unde scite conjiciendi prudentiam sibi acquirat. Porro ea sit *τῶν κακῶς πεφυκότων* conditio, ut virtutis justitiaeque semper expertes manere necesse sit. Tamen in tantis miseriis aerumnisque est quo levetur calamitosorum illorum iniqua sors. Ut enim virtutis justitiaeque compotes fieri nequeant, illud tamen constat, *αὐτοὺς γ' αὐτῶν βελτίους ἂν γίγνεσθαι καὶ πλείονος ἀξίους*. Qua ratione? *εἰ πρός τε τὸ λέγειν εὖ φιλοτίμως διατεθεῖεν καὶ τοῦ πείθειν δύνασθαι τοὺς ἀκούοντας ἐρασθεῖεν (καὶ πρὸς τούτοις τῆς πλεονεξίας ἐπιθυμήσειαν, μὴ τῆς ὑπὸ τῶν ἀνοήτων νομιζομένης, ἀλλὰ τῆς ὡς ἀληθῶς τὴν δύναμιν ταύτην ἐχούσης* [1]). Haec congruantne cum iis quae de virtutis professorum vanis pollicitationibus in eodem verborum ambitu dicta sint, nunc quidem nolumus quaerere; quae vero beneficia in eloquentiae cultores conferantur, rhetorem audiamus ordine enarrantem. Omnes omnino homines, bonos aeque ac malos, ab eloquentiae vi meliores

---

οὐ συναριθμεῖται, πλὴν αὐτὸ τὸ εἰδέναι· πρὸς δὲ τὸ τὰς ἀρετὰς τὸ μὲν εἰδέναι μικρὸν ἢ οὐδὲν ἰσχύει, τὰ δ' ἄλλα τὸ πᾶν, δύναται, ἅπερ ἐκ τοῦ πολλάκις πράττειν τὰ δίκαια καὶ σώφρονα περιγίνεται. Cf. Eth. Nic. VI. 13. *οὐχ οἷόν τε ἀγαθὸν εἶναι κυρίως ἄνευ φρονήσεως, οὐδὲ φρόνιμον ἄνευ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς.*

1) XV. 275.

effici in aperto est, quum ne vitiosi quidem nisi docti meliora ex eloquentiae officina discedant. Quod ita se habere paucis demonstrabitur. Primum enim qui dicere aut scribere aggrediatur orationes laude dignas, is non potest tractandas sibi sumere ὑποθέσεις ἀδίκους ἢ μικρὰς ἢ περὶ τῶν ἰδίων συμβολαίων, sed his rejectis eliget sibi μεγάλας καὶ καλὰς καὶ φιλανθρώπους καὶ περὶ τῶν κοινῶν πραγμάτων [1]). Deinde rerum gestarum, quae cum singulis argumentis connexae sunt, ἐκλέξεται τὰς πρεπωδεστάτας καὶ μάλιστα συμφερούσας. Jam vero qui ejusmodi res considerare et tractare consueverit, is non tantum in scribendo, sed in omnibus quaecunque aget, ad ea quae maxime utilia sunt et decora, animum attendet: ὥσθ' ἅμα τὸ λέγειν εὖ καὶ τὸ φρονεῖν παραγενήσεται τοῖς φιλοσόφως καὶ φιλοτίμως πρὸς τοὺς λόγους διακειμένοις. Deinde qui aliis persuadere velit, majorem orationi fidem conciliabit quo meliore ipse fruetur existimatione. Itaque persuadendi ille cupidus non modo non negliget virtutem, sed ob impositam necessitatem homo erit probus, i. e., ut probus homo a civibus suis habeatur, omnem impendet curam. — Satin' probavit Isocrates, inutilem insumere operam qui ad virtutem incitarent juvenes? Satin' apte haec conclusit? Qui in gravibus versatur argumentis, qui honesta quae sunt atque utilia undecunque ut orationi inserantur conquirit, is sponte consuetudinem inde capit justa et utilia, decora et honesta spectandi, i. e. conjectura assequendi; virtuti autem-, vel, quod in tali homine verius dici-

1) XV. 276.

tur, virtutis famae studere vel invitus cogitur. Habemus igitur, quae omnium disciplinarum instar sit, optimam non disciplinam sed officinam virtutis, ab Isocrate institutam; habemus veram philosophiam, dignam eam ob quam Platonis ceterorumque philosophia tanquam desipientium (ληρούντων) contemnatur. Philosophiam sane habemus, siquidem Isocrati licuit et omnibus aequo jure semper licebit, in re incerta nec certis terminis circumscripta hoc vocabulo uti, sed philosophiam talem, quae nescio virtutis an vitiorum magis officina dicenda sit. Quid enim? Informemus nobis oratorem qualis fuit Isocrates. Magnam adhibebit curam et diligentiam in argumentorum et rerum delectu: quo effectum iri concedamus ut consuetudinem aliquam sibi contrahat, in omnibus vitae negotiis eorum quae utilia, decora, justa sint, rationem habendi. Idem honesta facere ut aliis persuadeat, ipse honesti civis personam satis bene gerat. At vero idem aliam etiam et minus honestam consuetudinem sibi contrahat atque ex officina et ludo in vitam transferat necesse est. Eloquentiam existimabit esse persuadendi opificem [1]). Qua autem ratione ut persuadeat efficiet? Hac lege ut, non quid verum sit in rerum gestarum memoria atque omnino in rebus humanis, sed quid probabile quaerat, atque nove semper quum dicere velit [2]), de eadem re fortasse quidem non mutet sententiam, attamen diversa pro tempore et loco proferat judicia, denique ut τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν nulla ei sit religio.

1) XV. 249, 254. Cf. Quintil. I. O. II. 15. 4.
2) IV. 10.

Etenim *οἱ λόγοι τοιαύτην ἔχουσι τὴν φύσιν ὥσθ' οἷόν τ' εἶναι τά τε μεγάλα ταπεινὰ ποιῆσαι καὶ τοῖς μικροῖς μέγεθος περιθεῖναι καὶ τά τε παλαιὰ καινῶς διελθεῖν καὶ περὶ τῶν νεωστὶ γεγενημένων ἀρχαίως εἰπεῖν* [1]). Itaque in tyranni laudatione quum versabitur orator ille, affirmabit inter omnes hoc convenire: *τυραννίδα καὶ τῶν θείων ἀγαθῶν καὶ τῶν ἀνθρωπίνων μέγιστον καὶ σεμνότατον καὶ περιμαχητότατον εἶναι*, denique *κάλλιστον τῶν ὄντων* [2]). At posteris eorum qui tyrannos interfecerunt quum auctor erit ut pacem componant, multum interesse contendet magistratum inter et tyrannum. Etenim *τοῖς τυράννοις ἔθος καθέστηκε τοῖς τῶν ἄλλων πόνοις καὶ κακοῖς αὑτοῖς ἡδονὰς παρασκευάζειν, ἀνάγκη δὲ τοὺς τοιούτοις ἔργοις ἐπιχειροῦντας τυραννικαῖς καὶ ταῖς συμφοραῖς περιπίπτειν καὶ τοιαῦτα πάσχειν οἷά περ ἂν καὶ τοὺς ἄλλους δράσωσιν* [3]). Ostensurus se laudandi artem callere [4]), Isocrates Helenam omnibus animi corporisque dotibus exornat; hanc a Paride raptam affirmat maximi belli sustinere causam, quum et Trojani et Graeci sic putarent: *ἐν ὁποτέρᾳ* (i. e. in Asia an in Europa) *τὸ σῶμα τοὐκείνης κατοικήσειε, ταύτην εὐδαιμονεστέραν τὴν χώραν ἔσεσθαι* [5]). Ne tamen fidem habeamus talia narranti. Nam, ut idem alibi, una tantum muliere rapta, tanta ira excanduerunt principum animi, ut vi et armis injuriam illatam vindicandam censerent [6]). Igitur non mulier rapta, sed

1) IV. 8.
2) IX. 40.
3) VIII. 91. Cf. VIII. 111. II. 5.
4) X. 15.
5) X. 51.
6) IV. 181.

injuria illata causam belli attulit. Atqui ne hoc quidem vere dici, alibi probat. Bellum enim gesserunt Graeci λόγῳ μὲν ὑπὲρ Ἑλένης τῆς Μενελάου γυναικὸς, ἔργῳ δ' ὑπὲρ τοῦ μὴ τὴν Ἑλλάδα πάσχειν ὑπὸ τῶν βαρβάρων μήτε τοιαῦτα μήθ' οἷα πρότερον αὐτῇ συνέπεσε περὶ τὴν Πέλοπος μὲν ἁπάσης Πελοποννήσου κατάληψιν, Δαναόυ δὲ τῆς πόλεως τῆς Ἀργείων, Κάδμου δὲ Θηβῶν [1]. Igitur non Helena, Jovis filia, neque ira ob unam mulierem raptam causa fuit belli; de principatu, quem barbaris eripere cupiebant Graeci, omnis fuit contentio. Quum id agitur, ut orationis beneficium quantum sit ostendatur, primum quidem, inquit, orationis facultate accepta τοῦ θηριωδῶς ζῆν ἀπηλλάγημεν [2]: oblitus scilicet eorum quae antea dixit: τοὺς καρποὺς τοῦ μὴ θηριωδῶς ζῆν ἡμᾶς αἰτίους γεγονέναι [3]. Majorum virtute, temperantia, justitia auctam esse et ad summum potentiae gradum evectam rempublicam, persuasum sibi habebat Isocrates. Itaque cives suos ut majores imitentur quam saepissime adhortatur: qui nisi antiquae virtuti studeant atque ad majorum instituta revertantur, fieri non posse ut in pristinum statum restituatur respublica. Ideo Atheniensibus persuadere voluit, ut senatus Areopagitici fractam auctoritatem restituerent [4]), imperium maritimum ne diutius affectarent. Postquam enim infracta esset senatus auctoritas, omnes calamitates in rem-

---

1) XII. 80.
2) XV. 54.
3) IV. 28.
4) VII. 16, 17.

publicam erupisse; maritimum autem imperium esse *σχεδὸν ἁπάντων αἰτίαν τῶν κακῶν ὧν αὐτοί τ' ἔχομεν καὶ τοῖς ἄλλοις παρέχομεν* [1]. Talia, quum de republica bene administranda dissereret, dicere solebat; at idem operae pretium est videre quam contraria plane dicere non metuat, dummodo Atheniensium multo plura et majora quam Lacedaemoniorum in universos Graecos esse merita demonstret [2]. „Majores nostri, dicit, prudens secuti consilium, reipublicae formam, quae tum vigebat, mutarunt et classem sibi compararunt. Quid enim? Necesse erat ut haberent quo se defenderent a Spartiatarum insidiis et cunctorum Peloponnesiorum impetu. Quare reprehendendi non sunt. Neque enim nesciebant, de antiqua honestate, de sociorum benevolentia actum fore, et praeterea alias calamitates inde consecuturas esse; verum putabant decere tantam, tantae celebritatis civitatem omnes has molestias ferre potius quam Lacedaemoniorum dominationem: *δυοῖν γὰρ πραγμάτοιν προτεινομένοιν μὴ σπουδαίοιν, κρεῖττω τὴν αἵρεσιν εἶναι τοῦ δεινὰ ποιεῖν ἑτέρους ἢ πάσχειν αὐτοὺς καὶ τοῦ μὴ δικαίως τῶν ἄλλων ἄρχειν μᾶλλον ἢ φεύγοντας τὴν αἰτίαν ταύτην ἀδίκως Λακεδαιμονίοις δουλεύειν,“ ἅπερ ἅπαντες μὲν ἂν οἱ νοῦν ἔχοντες ἕλοιντο καὶ βουληθεῖεν, ὀλίγοι δ' ἄν τινες τῶν προσποιουμένων εἶναι σοφῶν ἐρωτηθέντες οὐκ ἂν φήσειαν* [3]. (Platonem significat, in Gorgia de justitia disputantem p. 508 C. sqq.) Aliquando igitur accidere potest, ut injustitia potior meliorque sit quam

---

1) VIII. 63.
2) XII. 35, 41.
3) XII. 114—119.

justitia; sunt in utroque certi fines „quos ultra citraque nequit consistere rectum.'' Atqui antea ex injustitia et virtutis neglectu omnia mala orta esse, una virtute beatitudinem plenam absolutamque contineri, ab Isocrate quam saepissime erat asseveratum [1]); sequitur ergo ut sententiam mutaverit orator et aliquantum quidem injustitiae non nocere civibus nec dedecere nunc opinetur. Egregie vero fallatur, si quis hic tritum illud „quantum mutatus ab illo'' in nostrum conferat. Mox denuo exsultabit rhetoris oratio in laude justitiae, perstringentur quicunque victoriam injustam celebrare audeant. Quippe parum noverunt isti: *ὡς οὐδὲν οὔθ' ὅσιον οὔτε καλόν ἐστι τῶν μὴ μετὰ δικαιοσύνης καὶ λεγομένων καὶ πραττομένων* [2]). Ne Socrates quidem, de justitia cum Callicle sermocinans, pulcriora eloqui potuisset. Verum Isocrates veritatem, justitiam, omnia omnino detorquet, dum orationi suae consulat. Eo enim consilio Panathenaicum scripsit, ut plura ac majora beneficia Athenienses quam Lacedaemonios in universos Graecos contulisse probaret: quo munere ut rite fungeretur, Lacedaemonios injustissimos semper fuisse [3]), Athenienses non sui ipsorum tantum sed totius Graeciae commodorum et utilitatum rationem habuisse atque insignes justitia fuisse, contendit. Extenuando et exaggerando rem facile quo voluit perduxit: Athenienses semper fere justissimos, semper prudentissimos fuisse, Lacedaemonios nec a prudentia nec a justitia laudari

1) VII. 37 sqq. VIII. 63, 64. XV. 281 sqq.
2) XII. 185, 186, 187. Cf. 228.
3) XII. 46, 71, 91, 188.

posse, demonstrat. Ceterum fallatur rursus qui inde efficiat, Isocratem Lacedaemonios odio habuisse. Imo eorum justitiam et instituta civilia maximis extulit laudibus, tum in aliis orationibus tum in ea quae Ἀρχίδαμος inscripta est, qua eorum virtutes animumque excelsum aeternitati commendare voluisse videtur [1]). Quod quum secum reputaret, quae in laudem eorum dixisset valde discrepare cum iis quibus maximarum Graeciae calamitatum illos auctores fuisse probasset atque horrendam iniquitatem et injustitiam iis objecisset, ipso teste, ex ea cogitatione magnum concepit dolorem [2]). Advocantur in consilium familiares quidam; rogatur sententia, quid facto opus sit, comburenda sit an edenda scripta oratio [3]). Ibi reliquis inter se disceptantibus, de grege unus, Lacedaemoniorum laudator, Macte, inquit, virtute tua! Equidem orationis tuae quae sit ratio, quod consilium, optime perspicio. Spartiatas nimirum quum videris reprehendere, revera laudas. Quod ut consequereris, adhibuisti λόγους ἀμφιβόλους καὶ μηδὲν μᾶλλον μετὰ τῶν ἐπαινούντων ἢ τῶν ψεγόντων ὄντας ἀλλ' ἐπαμφοτερίζειν δυναμένους καὶ πολλὰς ἀμφισβητήσεις ἔχοντας, οἷς χρῆσθαι περὶ μὲν συμβολαίων καὶ περὶ πλεονεξίας ἀγωνιζόμενον αἰσχρὸν καὶ πονηρίας οὐ μικρὸν σημεῖον, περὶ δὲ φύσεως ἀνθρώπων διαλεγόμενον καὶ πραγμάτων καλὸν καὶ φιλόσοφον [4]). Deinde demonstrat, omnia quae cum acerba Lacedaemoniorum reprehensione dicta videan-

1) VI. 108—111. Conferatur tota oratio.
2) XII. 232.
3) XII. 233 sqq.
4) XII. 240.

tur, facillime in eorum laudem posse converti [1]). Scripsit igitur Isocrates, familiarem illum si audias, orationem specie quidem simplicem facilemque intellectu, sed prudentioribus magnas exhibituram difficultates, quippe qui ea perspicere studeant quae fugiant reliquos. Scripsit denique λόγον πολλῆς μὲν ἱστορίας γέμοντα καὶ φιλοσοφίας, παντοδαπῆς δὲ μεστὸν ποικιλίας καὶ ψευδολογίας, οὐ τῆς εἰθισμένης μετὰ κακίας βλάπτειν τοὺς συμπολιτευομένους ἀλλὰ τῆς δυναμένης μετὰ παιδείας ὠφελεῖν ἢ τέρπειν τοὺς ἀκούοντας [2]). Haec familiaris ille, veris falsa mirum in modum permiscens. Tantum enim abest ut Isocrates in Panathenaico Lacedaemoniorum res gestas et virtutes laudasset, quum exagitare eos videatur, ut longis verborum ambagibus opus fuerit, quibus coram amicis dicta sua purgaret [3]); in laudandis Atheniensibus ita sibi indulserat, ut eorum inimicis atque hostibus infestissimis ne minima quidem laudis particula relinqueretur. Sed de dicendi genere, in quo ipse versabatur, Isocrates familiarem suum dilucide et egregie disserentem fecit. Quod genus quum pompae non pugnae sit aptum, quid verum sit quaerere non attinet, artificiis et blandimentis opus est, quibus legentium vel audientium animi tanquam jucunditate quadam perfundantur. Verum omnibus quaecunque agunt homines, certi fines sunt constituti, quos extra ne oratori quidem egredi licet. Suo exaggerandi jure usus Agesilai res gestas supra quam verum est

---

1) Legat haec cui lubet: 241 sqq. 250 sqq.

2) XII. 246.

3) Cf. 250.

celebravit Isocrates[1]). Sed idem non metuit adversa fronte pugnantia componere, laudibus efferre quos, simul atque usu venerit, perstringet contemnetque, odisse aut diligere prouti orationis ratio et consilium postulat, justitiam et virtutem in ore habere, re et factis suum virtutis, qua, uti fert laudandi studium, omnes omnino homines exornat, contemtum declarare. Hoc non tantum rhetoris est vitium, sed hominis, si vitiosus appellandus est, cujus a natura abest veri amor; qui fallaciis ac dolis, quoties opus est, utitur; quem non impedit pudor quominus suam in hoc genere calliditatem palam jactet. Sed Isocratis quod fuit, idem aetatis illius commune erat vitium, siquidem familiaris ille vere dixit, quae, ut coronam operi imponeret, in fine adjecit: *ἐν τοῖς παρελθοῦσι χρόνοις ἐθαύμαζόν σου τὴν φύσιν καὶ τὴν τοῦ βίου τάξιν καὶ φιλοπονίαν καὶ μάλιστα τὴν ἀλήθειαν τῆς φιλοσοφίας, νῦν δὲ ζηλῶ σε καὶ μακαρίζω τῆς εὐδαιμονίας· δοκεῖς γάρ μοι ζῶν μὲν λήψεσθαι δόξαν οὐ μείζω μὲν ἧς ἄξιος εἶ, χαλεπὸν γάρ, παρὰ πλείοσι δὲ καὶ μᾶλλον ὁμολογουμένην τῆς νῦν ὑπαρχούσης, τελευτήσας δὲ τὸν βίον μεθέξειν ἀθανασίας, οὐ τῆς τοῖς θεοῖς παρούσης, ἀλλὰ τῆς τοῖς ἐπιγιγνομένοις περὶ τῶν διενεγκόντων ἐπί τινι τῶν καλῶν ἔργων μνήμην ἐμποιούσης*[2]). Profecto non saepe incidunt tempora, quum talia ob merita immortalitatem sibi sperare quis audeat. Sed de immortalitate nunc quidem non agimus; de disciplinae Isocrateae utilitate erat omnis

---

1) Cf. Niebuhr, Vortr. ü. a. G. Vol. II. p. 238.

2) XII. 260.

disputatio. Quodsi Isocrates recte monuit, eloquentiae studium assuefacere juvenes, ea quae justa, pulcra, honesta habeantur, in omnibus vitae negotiis spectare, consequens est, eosdem quid vere justum, pulchrum, honestum existimandum sit, non quaesituros esse, sed, dum suae aut voluptati aut libidini inserviant, omne jus et fas perversuros, denique non secus facturos quam fecit Isocrates qui pulchrae verborum comprehensioni veritatem gratificari solebat, quique, quum virtutem summum bonum esse crederet et contenderet, tamen vanitate adductus eo pervenit, ut fama et specie virtutis aliquanto magis quam ipsa virtute delectaretur.

Haec scribenti venit mihi in mentem verborum quibus Plato in Gorgia Socratem de rhetorica suam declarantem facit sententiam. Quorum quum ea sit ratio ut universi carpantur rhetores, tum non desunt quae tam apte in Isocratem quadrent, ut hunc a Platone tecte ac scite exagitari negare vix possis. Quocirca paullum de via deflectendo Platonis de Isocrate, aequali et condiscipulo suo, judicio meum firmare lubet. Ne vero per simulationem pro meis inventis exhibere videar, quae ab alio reperta et solito acumine demonstrata sunt, Bakium, V. C., in disputatione quae inscribitur „ de aemulatione Platonem inter et Isocratem'', utriusque dicta enunciataque, quaecunque huc pertinent, acute dilucideque explicuisse lubens et grato animo profiteor. Socrates igitur de rhetorica exponens, Sunt, inquit, duae artes, τὴν μὲν ἐπὶ τῇ ψυχῇ πολιτικὴν καλῶ, τὴν δὲ ἐπὶ σώματι μίαν μὲν οὕτως ὀνομάσαι οὐκ ἔχω σοι, μιᾶς δὲ οὔσης τῆς τοῦ σώματος θεραπείας δύο μορία λέγω, τὴν μὲν

γυμναστικὴν, τὴν δὲ ἰατρικὴν [1]). Idem iisdem fere verbis dixit Isocrates: Majores nostri *διττὰς ἐπιμελείας κατέλιπον ἡμῖν, περὶ μὲν τὰ σώματα τὴν παιδοτριβικὴν, ἧς ἡ γυμναστικὴ μέρος ἐστὶ, περὶ δὲ τὰς ψυχὰς τὴν φιλοσοφίαν* [2]). Hoc interest, quod Isocrates, *ἁπάσας ἀναιρῶν τὰς τῶν ἄλλων παιδείας*, non universe *τὴν πολιτικήν*, sed solam *φιλοσοφίαν*, i. e., suam disciplinam, ad animum excolendum valere contendit [3]). Plato autem *τὴν πολιτικήν* in duas et ipsam dividit partes: *τῆς δὲ πολιτικῆς ἀντὶ μὲν τῆς γυμναστικῆς τὴν νομοθετικὴν, ἀντίστροφον δὲ τῇ ἰατρικῇ τὴν δικαιοσύνην*. At ille: Fabulas, inquit, nutricularum narras. Desipiunt quicunque justitiam in arte quadam versari existimant [4]). Ad haec alter habet quod respondeat. „Scilicet tu non tantum justitiae esse artem negas, sed omnem e mundo veritatem ac scientiam tollis, conjecturis in omni vitae actione opus esse contendens [5]). Vide ne tua ipsius ars, quam in coelum effers laudibus, non magis ars sit vocanda quam *ἐμπειρία καὶ τριβή* [6]). Nam quod asseveras, non arte sed institutione tua, i. e., exercitatione et consuetudine, homines adduci ut quid decens et justum sit, intelligant, intellecta faciant, latius hoc patet atque ad *λόγων τέχνην* est traducendum. *Τέχνην δὲ αὐτὴν οὐ φημὶ εἶναι ἀλλ' ἐμπειρίαν, ὅτι οὐκ ἔχει λόγον οὐδένα ὧν προσφέρει, ὁποῖ' ἄττα τὴν φύσιν ἐστίν, ὥστε τὴν αἰτίαν ἑκάστου μὴ*

1) Gorg. 464 B.
2) XV. 181.
3) XV. 183 sqq.
4) XV. 274.
5) XV. 271.
6) Gorg. 463 B.

ἔχειν εἰπεῖν, ἐγὼ δὲ τέχνην οὐ καλῶ ὃ ἂν ᾖ ἄλογον πρᾶγμα· τούτων δὲ πέρι εἰ ἀμφισβητεῖς, ἐθέλω ὑποσχεῖν λόγον [1]). Neque vero recusare potes, quominus a studio isto artis nomen abjudicetur, qui ultro ae saepe hoc ipsum concesseris. Statuis enim homines verum quid sit latere, eos τῆς ἀληθείας στοχάζεσθαι, ταῖς δόξαις τοῦ βελτίστου ἐπιτυγχάνειν. Assentior tibi et aequum me judicem tibi visum iri credo, si ita definierim rhetoricam, ut sit ἐπιτήδευμα φύσεως στοχαστικῆς καὶ ἀνδρείας καὶ φύσει δεινῆς προσομιλεῖν τοῖς ἀνθρώποις [2]): sed cave putes de reliquis jam omnibus nos congruere. Tantum abest ut δεινότητα illam laudem, ut turpissimam eam adulationem appellandam censeam [3]). Et conjiciendi sollertia te excellere concedo equidem, sed videris mihi τοῦ ἡδέος στοχάζεσθαι ἄνευ τοῦ βελτίστου [4]). Stultus igitur sit qui tibi credat de tua disciplina praedicanti, hanc unam esse philosophiam, huic qui se dederint fore ut τοῦ βελτίστου στοχάζεσθαι possint [5]). Sed satis tecum expostulatum est. Continua oratione meam de rhetorica sententiam declarabo. Sunt enim quatuor omnino artes, ἰατρική, γυμναστική, et, quae his respondent, δικαιοσύνη, νομοθετική. τεττάρων δὴ τούτων οὐσῶν καὶ ἀεὶ πρὸς τὸ βέλτιστον θεραπευουσῶν, τῶν μὲν τὸ σῶμα, τῶν δὲ τὴν ψυχήν, ἡ κολακευτικὴ αἰσθομένη, οὐ γνοῦσα λέγω ἀλλὰ στοχασαμένη, τέτραχα ἑαυτὴν διανείμασα, ὑποδῦσα ὑπὸ ἕκαστον τῶν μορίων

1) Ibid. 465 A.
2) 463 A.
3) 463 A.
4) 465 A.
5) XV. 271.

προσποιεῖται εἶναι τοῦτο ὅπερ ὑπέδυ, καὶ τοῦ μὲν βελτίστου οὐδὲν φροντίζει, τῷ δ' ἀεὶ ἡδίστῳ θηρεύεται τὴν ἄνοιαν καὶ ἐξαπατᾷ ὥστε δοκεῖν πλείστου ἀξία εἶναι, — ὑπὸ μὲν οὖν τὴν ἰατρικὴν ἡ ὀψοποιικὴ ὑποδέδυκε καὶ προσποιεῖται τὰ βέλτιστα σιτία τῷ σώματι εἰδέναι, ὥστ' εἰ δέοι ἐν παισὶ διαγωνίζεσθαι ὀψοποιόν τε καὶ ἰατρὸν, ἢ ἐν ἀνδράσιν οὕτως ἀνοήτοις ὥσπερ οἱ παῖδες, πότερος ἐπαΐει περὶ τῶν χρηστῶν σιτίων καὶ πονηρῶν, ὁ ἰατρὸς ἢ ὁ ὀψοποιὸς, λιμῷ ἂν ἀποθανεῖν τὸν ἰατρόν [1]). — τῇ μὲν οὖν ἰατρικῇ ἡ ὀψοποιικὴ κολακεία ὑπόκειται, τῇ δὲ γυμναστικῇ κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον τοῦτον ἡ κομμωτική· — ἵν' οὖν μὴ μακρολογῶ, ἐθέλω σοι εἰπεῖν ὥσπερ οἱ γεωμέτραι — ὅτι ὃ κομμωτικὴ πρὸς γυμναστικὴν, τοῦτο ὀψοποιικὴ πρὸς ἰατρικήν· μᾶλλον δὲ ὧδε, ὅτι ὃ κομμωτικὴ πρὸς γυμναστικὴν, τοῦτο σοφιστικὴ πρὸς νομοθετικὴν, καὶ ὃ ὀψοποιικὴ πρὸς ἰατρικὴν, τοῦτο ῥητορικὴ πρὸς δικαιοσύνην· ὅπερ μέντοι λέγω, διέστηκε μὲν οὕτω φύσει, ἅτε δ' ἐγγὺς ὄντων φύρονται ἐν τῷ αὐτῷ καὶ περὶ ταὐτὰ σοφισταὶ καὶ ῥήτορες, καὶ οὐκ ἔχουσιν ὅ τι χρήσονται οὔτε αὐτοὶ ἑαυτοῖς οὔτε οἱ ἄλλοι ἄνθρωποι τούτοις [2]).

In hac disputatione nonnulla inesse mihi videntur, quae Platonis Isocratem exagitandi consilium manifesto arguunt. Isocrates philosophiam artemque a Platone abjudicat; Plato diserte et saepius rhetoricam artem esse negat, crebro usurpat Isocrateum illud *στοχάζεσθαι* [3]). Isocrates statuit, philosophos qui ex sua disciplina profecti essent, *ἐπιτυγχάνειν ταῖς δόξαις τοῦ βελ-*

1) 464. C. D.

2) 465. B. C.

3) ψυχῆς στοχαστικῆς, — ἡ κολακευτικὴ αἰσθομένη, οὐ γνοῦσα λέγω ἀλλὰ στοχασαμένη, — τοῦ ἡδέος στοχάζεται.

τίστου, Plato quid optimum sit rhetoricen non curare existimat [1]). Neque vero temere factum puto ut Isocrates, quum in Antidosi disciplinam suam praedicaret, verbum στοχάζεσθαι, quod antea ejus sententiam apte declarare visum erat, non usurparit, δόξας ejus in locum substituerit [2]). Sed graviora sunt alia, non in verborum discrepantia sed rerum posita. Negat Isocrates justitiae aliusve rei esse scientiam, exercitationem et consuetudinem capiendam esse censet. Consequitur ut, duplicem quum faciat humanae naturae divisionem, corpus gymnastica, mentem exercitatione quae gymnasticae respondeat excolendam putet. Quae exercitatio qualis sit si quaeras, rhetoricam solam esse philosophiam, solam mentis exercitationem dignam in qua elabores, persuadere tibi conabitur. Plato autem concedit ille quidem ut duo artium genera sint, sed utrumque genus in duas dividit partes, neque uno vocabulo comprehendi posse τὴν ἐπὶ σώματι τέχνην contendit: quae ipsa verba addidisse et quadripartitam divisionem fecisse mihi videtur, Isocratis ut definitionem corrigeret. Jam vero in Platonica divisione dignum quod attendatur illud est, quod τῇ ἰατρικῇ respondet ἡ δικαιοσύνη, et quod tantum interesse statuit inter ὀψοποιικήν et ἰατρικήν quantum inter ῥητορικήν et δικαιοσύνην. Primum enim contra atque Isocrati videtur, justitiam artem vocat. Deinde rhetoricam opponit justitiae. Illam non magis artem esse affirmat quam artem coquinariam, sed turpem adulationem, quae speciem sibi

1) τοῦ μὲν βελτίστου οὐδὲν φροντίζει — τοῦ ἡδέος στοχάζεται ἄνευ τοῦ βελτίστου —.

2) XV. 271.

assumat ejus quod non sit, i. e. justitiae. Egregie! sed quorsum haec? Gorgias enim in praecedentibus non tantum sibi arrogavit, ut rhetoricam aequaret cum justitia. Ars mea, inquit, est persuadendi in omnem partem opifex [1]). Quam postquam sic definivit, a Socrate in tantas compellitur angustias ut, definitione emendata, addere cogatur, rhetoricam esse artem persuadendi περὶ τὸ δίκαιόν τε καὶ ἄδικον [2]). Sed mox arctioribus quam par sit terminis rhetoricam a Socrate circumscriptam esse sentiens, ad priorem redit sententiam: δυνατὸς (μὲν γὰρ) πρὸς ἅπαντάς ἐστιν ὁ ῥήτωρ καὶ περὶ παντὸς λέγειν ὥστε πιθανώτερος εἶναι ἐν τοῖς πλήθεσιν ἔμβραχυ περὶ ὅτου ἂν βούληται [3]). Iterum frena adhibentur exsultanti et glorianti sophistae. „Quicunque artem medicam didicit, is medicus est: qui musicen didicit, musicus: ergo ὁ τὰ δίκαια μεμαθηκὼς δίκαιος. Quodsi orator artem didicit persuadendi περὶ τὸ δίκαιόν τε καὶ ἄδικον, didicit τὰ δίκαια: est igitur justus nec umquam injuriam facere volet.“ Acutis Socratis conclusionibus de sua sententia detrusus Gorgias, ad alteram se traduci non aegre patitur [4]). Hic autem Polus peropportune suum interponit de re quae in disputatione versatur judicium [5]). „Pudore nimirum impeditus est Gorgias quominus tibi concederet, ut orator nesciat quid justum, pulcrum, bonum sit: hinc nata est quam

---

1) ἐκέλευε γοῦν νῦν δὴ ἐρωτᾷν ὅ τι τις βούλοιτο τῶν ἔνδον ὄντων, καὶ πρὸς ἅπαντα ἔφη ἀποκρινεῖσθαι. 447. C.

2) 455. A.

3) 457 A.

4) 461 B. sqq.

5) 461 B.

reprehendis dictorum ejus repugnantia; ἀλλ' εἰς τὰ τοιαῦτα ἄγειν πολλὴ ἀγροικία ἐστὶ τοὺς λόγους." Assentiendum Polo, opinor. Argumentorum conclusione, tanquam tormento quodam admoto, extorsit Socrates ut alter cum rhetorica justitiam arctissimo vinculo esse conjunctam invitus reluctansque concederet, quin etiam qui orator esset, eundem justum esse hominem affirmaret; sed vi quae extorta sunt, ad probandum non valent. Orator quid sibi proponat si ex Gorgia quaeras, nisi adsit Socrates aliquis, sic artem suam definiet, opinor, ut in omnem partem persuadendi sit opifex; nec dubium est quin omnes fere qui ea aetate florebant rhetores, sententiam rogati de rhetorices definitione, Gorgiae assensuri Polumque rem acu tetigisse dicturi fuissent, quum objiceret Socrati, πολλὴν ἀγροικίαν εἶναι εἰς τὰ τοιαῦτα ἄγειν τοὺς λόγους.

Quae cum ita sint, manifesto apparet Platonem hoc consilio Socratem induxisse Gorgiam interrogantem, ut justitiam abesse a rhetorum arte, nec tamen deesse oportere ostenderet. Quo postquam res deducta est, continua oratione de rhetorica exponet Socrates. „Adulatio, inquit, in quatuor se distribuit partes, quarum una ad oratores pertinet." Credas adulationem a Socrate hanc dici quae orationis dulcedine in audientium vel legentium animos se insinuet eosque adducat ut prae verborum delectatione et jucunditate anquirere et dispicere rerum veritatem nequeant. Exspectes igitur ut addat, se hanc ob causam rhetoricam κολακευτικήν appellasse, quod sit δοξοσοφία [1]) vel δοξο-

1) Plato Soph. 231 B.

παιδευτικὴ θήρα [1]) vel *δοξαστική τις περὶ πάντων ἐπιστήμη* [2]). Verum longe aliter res cadit. Ἡ *κολακευτικὴ προσποιεῖται εἶναι τοῦτο ὅπερ ὑπέδυ* [3]). Itaque speciem sibi assumit — non scientiae quae omnes res divinas humanasque complectatur, sed — illius virtutis quae dudum ab hac adulationis parte abjudicata esse videbatur, i. e. *justitiae.* Hic, unum si excipias Isocratem, cuncti clament rhetores, iniquissime secum agi: se enim non negare quin de justis aut injustis persuadere possint, sed tamen hanc nonnisi minimam esse muneris sui particulam. Quodsi non ludendi aut exagitandi causa, sed veri amore ductus rhetoricam perstringere voluisset Plato, arti suae non justitiam, sed certam et stabilem rerum scientiam opponendam fuisse. Ceterum quod tam inique de rhetoris, gravissimi hominis utilissimique, arte judicet Plato, id sibi ne mirum quidem videri. „Philosophi enim *καὶ τῶν νόμων ἄπειροι γίγνονται τῶν κατὰ τὴν πόλιν καὶ τῶν λόγων, οἷς δεῖ χρώμενον ὁμιλεῖν ἐν τοῖς συμβολαίοις τοῖς ἀνθρώποις καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ, καὶ τῶν ἡδονῶν τε καὶ ἐπιθυμιῶν τῶν ἀνθρωπείων, καὶ συλλήβδην τῶν ἠθῶν παντάπασιν ἄπειροι γίγνονται* [4])." Haec atque hujusmodi alia si illi proferant, vereor ne causam vincant, modo reos illos facere voluerit Plato, quod factum nego. Omnino in describenda oratoris facultate Plato non secus ac ceteri, qui in hoc describendi genere versantur, fecisse existimandus est. Cavendum iis sum-

---

1) Soph. 223 B.

2) Soph. 233 C. Cf. Gorg. 447 C.

3) Gorg. 464 C.

4) Gorg. 484. D.

mopere est „ne turpiter atrum in piscem desinat mulier formosa superne," ne „talem informent hominem qualis fortasse nemo fuit" [1]). Quocirca genus quoddam descripturi, certi hominis qui in illo genere longe omnibus antecellat imaginem exprimunt, ejus mores, studia, artem dicendo depingunt, nonnullis tantum membris, quibus opus est ut unum totumque quasi corpus efficiatur, aliunde assumtis. Veluti Platonis in describenda oratoris facultate nihil quicquam referebat exstitisse quosdam quibus *βομβυλιοί* et *ἅλες καὶ τὰ τοιαῦτα* pulchram ad laudandum materiem praebuissent [2]). Neque vero quid reliqui agerent, non ignobiles illi quidem rhetores, verum tamen alio quodam longe inferiores, magnopere ejus intererat. Ex iis quos noverat unus, praestantissimus qui esset et celeberrimus, eligendus erat, inde exemplum petendum. Itaque circumspicienti Isocratis tum a praestantia doctrinae tum a celebritate se commendantis imago sponte oculis ejus oblata est. Rhetoricam igitur quum perstringit, hoc agit ut Isocratis perstringat facultatem artemque; de ceteris nonnisi mutatis mutandis narratur fabula. Illum si ob oculos habuit, nequaquam fuit *πολλὴ ἀγροικίᾳ ἐς τὰ τοιαῦτα* (i. e. justitiam) *ἄγειν τοὺς λόγους*. Isocrates enim non solum cives suos quam saepissime hortabatur, ut justitiae atque omni virtuti studerent, sed ipse *τῷ ἀναμαρτήτως ζῆν* [3]) ceteris praestare voluit. Porro in Isocratis scriptis quanta

1) Cic. Or. 7.

2) Isocr. X. 12.

3) Isocr. XII. 5.

esset repugnantia, quam sibi non constaret in hominibus rebusque gestis ex justitia et aequitate ponderandis, Plato, si quis alius, optime perspexit. Hinc consilium illud inducendi Gorgiam sibimet ipsum contradicentem [1]). Isocrates enim quod Gorgias fecisse fingitur, id revera fecit, ut duas res quam maxime inter se repugnantes copularet, justitiam dico et omnipotentem illam rhetoricam.

Quodsi vera sunt quae de Platonis consilio disputavi, consequitur ut ad Isocratis potissimum artem pertineant quae de rhetorica Socrates continua oratione exponit [2]). Verum ipsa philosophi verba tale consilium manifesto arguunt. Mitto indicia e singulis verbis petita, quoniam de iis supra satis dictum videtur; verborum comprehensiones perscrutandae sunt. „Medicae arti, inquit, respondet justitia." Igitur justitia intelligenda est ars, qua ab injustitia ad justitiam traducuntur homines. Medicinam populo aegrotanti adhibere voluit Isocrates, justitiae artem exercuit. At quam ineptus est artifex! Audiamus Platonem: *ἡ κολακευτική — προσποιεῖται εἶναι τοῦτο ὅπερ ὑπέδυ καὶ τοῦ μὲν βελτίστου οὐδὲν φροντίζει, τῷ δ' ἀεὶ ἡδίστῳ θηρεύεται τὴν ἄνοιαν καὶ ἐξαπατᾷ ὥστε δοκεῖ πλείστου ἀξία εἶναι.* Isocrates sive tyrannidem sive Atheniensium rempublicam sive Lacedaemoniorum oratione celebrare voluerit, verba ei non deerunt. Simulat se esse justum et suum cuique tribuere, revera cuique quod maxime placeat tribuit. Pulcre et artificiose nunc Athenien-

1) Gorg. 460 E. 461 A.

2) 464 B. sqq.

ses [1]), nunc Lacedaemonios [2]) in eo reprehendit quod injusti sint; ipse vero quid agit? Nimirum non ut laudet vel reprehendat prouti quisque aut laude aut reprehensione revera dignus sit, sed ut extenuatione et exaggeratione usus, prouti fert orationis consilium, quos velit aut laudibus efferat aut graviter vituperet. Itaque qui alios ab injustitia reprehendendos censet, ipse est injustissimus. Nihil aliud nisi *simulat* (*προσποιεῖται*) se magni facere *τοῦτο ὅπερ ὑπέδυ*, i. e. justitiam; revera autem *τῷ ἀεὶ ἡδίστῳ θηρεύεται τὴν ἄνοιαν*. Nam sive Euxagoras sive Athenienses sive Lacedaemonii sive alii quilibet laudandi sunt aut perstringendi, semper *λογοδαίδαλος* noster illud poëtae comici, paullum commutatum, secum reputat: „Populo ut placerent quas fecit fabulas." Denique *ὃ ὀψοποιικὴ πρὸς ἰατρικήν, τοῦτο ῥητορικὴ πρὸς δικαιοσύνην*. Coquo similis Isocrates cuique apponit quae jucundissime palato fore existimat, „totusque in patinis est animus." Profecto non magis medica ars differt a coquinaria quam rhetorica Isocratea a justitia. Ne vero ullus subterfugiendi locus relinquatur — *δυσθήρευτον γὰρ τὸ θηρίον* — adduntur haec: *ὅπερ μέντοι λέγω, διέστηκε μὲν οὕτω φύσει* (adulationis quatuor partes), *ἅτε δ' ἐγγὺς ὄντων φύρονται ἐν τῷ αὐτῷ καὶ περὶ ταὐτὰ σοφισταὶ καὶ ῥήτορες*. Isocrates si se *ῥήτορα* esse negarit [3]), sophistam

---

1) In oratione de Pace.

2) In Panathenaïco.

3) Isocrates enim, quanquam *ῥητορικὴν* profitebatur artem, tamen non erat *ῥήτωρ*, i. e., non verba faciebat in concione. In Panathenaïco se et suos discipulos *τοῖς ῥήτορσι*, nequissimis homi-

se professus erit [1]); tamen non demovebitur culpa delicti ab utroque commissi.

---

nibus, opponit, idem faciens, credo, quod vulpes in fabula, i. e., in contemtum vocans quorum se similem aemulumque esse non posse magno cum dolore sentit. (Panath. 10. 12. sqq.)

1) Sophistam se professus est in Antidosi, 155. 157., eratque hoc verum rei quam profitebatur vocabulum. Nec tamen nisi necessitate quadam adactus nomen illud, quod invidiosum sane erat illa aetate (XV. 235.), sibi imposuit. Ut enim probaret quod probandum erat, falsa esse quae ab illo, nescio quo, qui facultatum permutationem postulasset, asseverata essent, ὡς παμπληθῆ κεκτήμεθα τὴν οὐσίαν (154), cum reliquis se exaequavit comparavitque qui institutionis mercedem acciperent. Quibus cum *sophistis* vulgo nomen esset, facere non potuit quin ipse se sophistarum in numerum referret. Sophistam igitur se profitetur, ut duas hasce rationes concludat: 1° se divitem non esse, quum ne Gorgias quidem, *sophistarum* omnium ditissimus (155.), magnam pecuniam reliquerit (156.); 2° se divitem non esse, quippe qui *sophista* sit, non histrio (157). Ceterum non alio loco, quod sciam, sophistam se appellat. De disciplina sua quum loquitur utitur verbo φιλοσοφία, cui duplicem subjungit notionem. Nam in universum φιλοσοφίαν intelligit mentis culturam (τὴν τῆς φρονήσεως ἄσκησιν, XV. 209.) vel scientiam (XII. 246. πολλῆς ἱστορίας γέμοντα καὶ φιλοσοφίας), vel mentis exercitationem eam quae in cogitando et perpendendo ponitur (XII. 260. τὴν ἀλήθειαν τῆς φιλοσοφίας, i. e. cogitatorum veritatem). Quum autem persuasum ei sit reliquorum philosophiam indignam tali nomine esse (XV. 270.), suam disciplinam ad veram philosophiam, quae prudentia ex mentis exercitatione capta et recte conjiciendi facultate cernatur, conducere (XV. 271 sqq.), hinc repetenda est altera vocis φιλοσοφία notio, qua φιλοσόφους appellat quicunque rhetoricae operam dant (VIII. 145 in fine), quos eosdem φιλοσοφοῦντας appellat in oratione κατὰ τῶν σοφιστῶν

Quae quum ita sint, non dubito quin sub Gorgiae persona lateat Isocrates; Poli enim et Calliclis quinam induti sint specie armisque, nunc quidem non quaerimus. Gorgiam autem Isocratis agere partes, hinc etiam efficio, quod non est homo procax, injustus, leges sibi latas negans, quales sunt Polus et Callicles, sed mitis ingenii et amans justitiae, ceterum non magnae sagacitatis, ut Socrati facillimum sit negotium deducere eum quo velit. Itaque Socratis acutis interrogatiunculis quod opponat non habet et concedere cogitur, ut eloquentia non de omnibus sed de justis injustisve persuadendi ars sit (455 A.). Mox autem eorum quae dixit oblitus est. Ego, inquit, *πειράσομαι, ὦ Σώκρατες, σαφῶς ἀποκαλύψαι τὴν τῆς ῥητορικῆς δύναμιν ἅπασαν* (455 D.) — *οὐ γὰρ ἔστι περὶ ὅτου οὐκ ἂν πιθανώτερον εἴποι ὁ ῥητορικὸς ἢ ἄλλος ὁστισοῦν τῶν δημιουργῶν ἐν πλήθει* (456 C.) Isocratem, opinor, hoc loco audimus in artis suae laudibus stulte exsultantem et ad consequentia cernenda prae vanitate non valentem. Sed adduntur quae ad causam vincendam majoris etiam nobis sint momenti. Affirmat enim Gorgias, facultate sua abuti qui de omnibus persuadere cupiant: nam hoc commune esse eloquentiae studiosorum cum iis qui *πυκτεύειν τε καὶ παγκρατιάζειν καὶ ἐν ὅπλοις μάχεσθαι* didicerint, ut quam norint artem, eam male et cum aliorum incommodo exercere possint; non autem arti tribuendam esse hominis qui eam exerceat vitiositatem (456 C.). Eodem prorsus modo et iis-

---

(14, 18.) et aliis locis. Denique *φιλοσοφίαν* quum dicit, idem intelligit quod Plato voce *ῥητορική* significat (XIII. 21. XV. 186.).

dem fere verbis se defendit in Antidosi Isocrates (251 sqq.). Itaque Platonem ab Isocrate mutuatum esse quae Gorgiam hoc loco faciat dicentem, verisimilimum mihi quidem videtur.

Sed oritur hic difficultas satis magna. Quamquam enim litem lite solvere videntur qui certo tempori Gorgiam Platonis assignare student, hoc tamen satis constat, Isocratis orationem de Antidosi post Gorgiam, si non editam, at scriptam certe esse [1]). Quocirca cautio adhibenda est ne in Platonem culpam conferamus talem, qualem poëta quidam Anglicus sustinere fertur: praeoccupasse sagacis ingenii hominem dicunt, quae multis post annis poëta nostras versibus persecuturus esset. Verum Deus ex machina hic non opus est. Locorum communium usus omnem solvit difficultatem. Quae de orationis facultate et de iis, qui facultate illa abusi dicendi artem corrumpant et in invidiam vocent, in Apologia Isocratea dicuntur, iisdem fere verbis scripta exstant in Isocratis oratione quam pro populo habentem facit Nicoclem, Salaminis regem [2]): quae quum aliquot ante editam Antidosin annis ab Isocrate scripta sit, fontem habemus unde sua hauserit Platonicus Gorgias [3]). Atque hic locorum

---

1) Bake l. l. p. 45.

2) III. 3—10. XV. 251—258.

3) Scripsi „aliquot," quia certa temporis quo composita sit definitio neque ex hac oratione neque ex aliarum indiciis elici potest. Dicam tamen quid verisimile hac in re mihi quidem videatur. Existimo enim e verbis: τὸν μὲν οὖν ἕτερον, ὡς χρὴ τυραννεῖν, (i. e. eam orationem quae *ad Nicoclem* inscribitur) Ἰσοκράτους ἠκούσατε, τὸν δ' ἐχόμενον, ἃ δεῖ ποιεῖν τοὺς ἀρ-

communium usus multo latius patuisse putandus est. Monuit jam Bakius [1]), „credibile esse eandem sententiam (i. e. eandem artium distributionem quam in Antidosi exhibuit Isocrates) positam fuisse in oratione adversus Sophistas, cujus hodie nonnisi particulam habeamus, indeque excerptam exstare in Antidosi." Ac profecto argumentis satis gravibus opinio illa firmari potest. Non eodem, sed simili consilio utramque orationem conscripsit Isocrates, alteram senex, ut se suamque disciplinam a calumniis defenderet, alteram quo tempore scholae praeesse coepit, ut institutionem suam reliquis praestare demonstraret et civibus externisque commendaret. Itaque in utraque traducuntur eristici aliique Sophistae quibuscum de optima institutione non concineret [2]). In utraque tria necessaria esse dicuntur ad formandum bonum oratorem, ingenium, praeceptor, exercitatio; ingenium autem in utraque ita fert primas, ut vel solum, etiamsi reliqua desint, ad eloquentiae famam comparandam valere videatur [3]). In utraque contendit, justitiam non esse διδακτόν [4]); sed multo leniora sunt quae in hanc sen-

---

χομένους, ἐγὼ πειράσομαι διελθεῖν (III. 11), his igitur ex verbis effici posse existimo, utramque orationem, i. e. *Nicoclem* et *ad Nicoclem*, eidem tempori assignandam esse. Quodsi vera est haec opinio, orationes illae non tantum ante editam Antidosin (XV. 73.) scriptae sunt, sed eo jam tempore compositae et ad regem missae, quo hic in paternum successit regnum (III. 11, 12.).

1) l. l. p. 45.

2) XIII. 1 sqq. XV. 258 sqq.

3) XIII. 14—19. XV. 186—193.

4) XIII. 21. XV. 274.

tentiam in or. adv. Sophistas disputantur quam quae in Antidosi posuit: unde efficio, quum illa ederetur, inimicitias Platonem inter et Isocratem nondum esse obortas. Praeterea, id quod caput est, in utraque ἐπιστήμη exsulare jubetur, δόξα in ejus locum et honorem succedit [1]). Postremo in utraque, rejectis aliorum commentis, opinionem suam de optima institutione exposuit [2]); sed desunt quae de hoc argumento in priore oratione dixit; quae in Antidosi, integra exstant. Jam vero tanta est prioris cum posteriori, quoad utramque conferre licet, similitudo, ut sine ulla dubitatione contendere audeam, Antidosin alterius orationis lacunam explere. Quocirca Plato, quum Gorgiam scriberet, non divinando quae Isocrates esset scripturus praeoccupasse et Gorgiam loquentem fecisse, sed Isocratis judicium sententiamque ex or. adv. Soph. bene cognita habuisse mihi quidem videtur. Quodsi haec vere disputata sunt, non dubito quin illud quod Bakii vestigia secutus demonstrare conatus sum, sub Gorgiae Platonici persona latere Isocratem, rem attente perpendentibus sim probaturus.

Quoniam saepius jam Platonem et Isocratem obtrectantes inter se et alterum alterius traducentem verba sententiasque fecimus, res postulare videtur ut de loco Platonis qui est in Phaedro, paucis absolvamus. Nisi enim probare potuerimus, Ciceronem, etiamsi vere dixerit „de *seniore* Isocrate haec scripsisse Platonem,'' tamen addere non oportuisse, „illum omnium

---

1) XIII. 17. XV. 271.

2) XIII. 22. XV. 270 sqq.

rhetorum exagitatorem (Platonem) hunc unum, i. e. Isocratem, mirari"[1]), totus comparandi et simultatis vestigia deprehendendi labor inanis fuerit et supervacuus. Ciceroni igitur seniorem jam Isocratem laudare visus est Plato, qui in Phaedro de rhetore Socratem haec dicentem fecisset: δοκεῖ μοι ἀμείνων ἢ κατὰ τοὺς περὶ Λυσίαν εἶναι λόγους τὰ τῆς φύσεως, ἔτι τε ἤθει γεννικωτέρῳ κεκρᾶσθαι, ὥστε οὐδὲν ἂν γένοιτο θαυμαστὸν, προϊούσης τῆς ἡλικίας, εἰ περὶ αὐτούς τε τοὺς λόγους οἷς νῦν ἐπιχειρεῖ πλέον ἢ παίδων διενέγκοι τῶν πώποτε ἀψαμένων λόγων, ἔτι τε εἰ αὐτῷ μὴ ἀποχρήσαι ταῦτα, ἐπὶ μείζω δέ τις αὐτὸν ἄγοι ὁρμὴ θειοτέρα· φύσει γὰρ, ὦ φίλε, ἔνεστί τις φιλοσοφία τῇ τοῦ ἀνδρὸς διανοίᾳ[2]). Haec quando scripta sint, non convenit inter viros doctos. Partim assentiuntur Ciceroni, qui *seniore* jam Isocrate a Platone scripta putat quae de *adolescente* augurantem facit Socratem[3]); partim adolescentem revera fuisse Isocratem contendunt, quo tempore haec de eo Socratem dicentem fecerit Plato. Hi Platonem admodum juvenem[4]), antequam Socrates capitis damnatus esset, Phaedrum composuisse statuunt; illi philosophum quadraginta circiter annos natum librum illum conscripsisse existimant. Equidem meum hac in causa judicium interponere non ausim: utrisque enim litigantium argumenta et indicia deesse mihi videntur talia, quibus sententiam suam absque dubio veram esse

1) Cic. Or. 41.

2) Phaedr. 279 A.

3) Phaedr. 279 A. initio.

4) Erat enim Plato sex annis minor natu quam Isocrates. Vid. Diog. Laert. in vita Platonis 2.

probent. Verum judicio aliquo interposito ne opus quidem est: mihi enim probandum est, sive juvenis sive quadraginta circiter annos natus scriptionem illam composuerit Plato, tamen haudquaquam verum esse quod Cicero dicit „illum omnium rhetorum exagitatorem hunc unum mirari.'' Quocirca quaestione illa, quae est de Phaedri anno natali, aliis relicta, in meum proprium opus incumbam. Si enim juvenis Phaedrum composuit Plato [1]), non est quod miremur, eum laudibus extulisse Isocratem, cujus nonnisi indolis bonitatem et fortasse orationes nonnullas judiciales cognitas haberet. De adolescente et condiscipulo pulcra auguratur ipse adolescens; exspectatione quum frustratus erit, traducet de quo temere praeclaram spem se concepisse animadverterit. Sin ipse senior de seniore Isocrate talia scripsit, dijudicandum videtur, serione an per ludum jocumque exagitatoris munere sciti et acerbi fungens locutus sit. Est sane ea hujus loci ratio ut utramque interpretationem admittere videatur. Itaque Stallbaumius aliique, serio omnia dicta putantes, „non ulla ex parte vera esse'' dicunt „quae de simultate inter Platonem et Isocratem postea temporis exorta disputentur'' [2]). At Bakius [3]) et Geelius [4]) „conditione adjecta mirifice temperari'' existimant „quas Plato illi tribuat laudes, atque ejus verba ne plenam quidem laudationem sine gravi

1) Quae tum aliorum, tum Spengelii sententia est. Cf. ejus liber qui inscribitur „Isokrates und Plato''.

2) Cf. Stallbaum De primordiis Phaedri Platonis p. 40. Hermann Gesch. d. Plat. Philosophie, I. p. 123.

3) Schol. Hypom. III. p. 46.

4) De Stesichori Palinodia in Rheinisch Museum. 1839. p. 9.

admixta reprehensione continere." Provocant ad verba *εἰ ταῦτα μὴ ἀποχρήσαι αὐτῷ*; contendunt cum reprehensione haec dicta esse: „satis enim perspicue significari, eum non tenere illud iter in quo veram bene dicendi et omnino eruditionis laudem explicare posset: itaque non vere philosophum esse, qua una appellatione Plato omnia complectatur." At alteri tanquam praesidio utuntur verbis: *Φύσει γὰρ ἔνεστί τις φιλοσοφία τῇ τοῦ ἀνδρὸς διανοίᾳ.* Platonem dicunt, si Isocratem carpere voluisset, non additurum fuisse haec verba, quae nihil aliud nisi laudis testimonium non ulla reprehensione admixta contineant: quare verba illa, *εἰ αὐτῷ μὴ ἀποχρήσαι ταῦτα*, ita interpretantur ut statuant, Platonem revera *ὁρμὴν θειοτέραν* in Isocratis scriptis deprehendisse, itaque oraculum edidisse post eventum.

Equidem credo utramque interpretationem habere quo se commendet; ceterum unicuique manifestum fore arbitror, eam Platonis verborum esse rationem, ut pro interpretantis arbitrio ad Isocratis aut reprehensionem aut laudationem trahi possint. Sed fieri posse ut senior Isocrates ab aequali Platone laudetur, Stallbaumio ceterisque ita concedam, ut tamen magnopere cavendum censeam, ne hinc plus efficiatur quam jure effici queat. Dixerit sane Plato, natura inesse in Isocratis mente philosophiam quandam: at non dixit qualis esset philosophia illa. Non cogitavit, credo, de hac illave philosophiae parte aut ratione; significat tantum mentis habitum ad philosophandum aptum et proclivem [1]); ad-

---

1) De qua significatione v. **φιλοσοφία** vid. Heusdius Initia phil. Plat. I.

jectum autem vocabulum *τις* illam ingenii laudem etiam temperat. Quare multum abest, ut Plato dixerit esse in Isocrate illud veri studium, quo maxime philosophia cernitur; potius videtur his dictis benevolum erga condiscipulum et amicum testari animum voluisse. Amicos enim eos olim fuisse nec est quod miremur et diserte affirmat Diogenes Laërt. III. 8: *ὁ δ' οὖν φιλόσοφος* (Plato) *καὶ Ἰσοκράτει φίλος ἦν καὶ αὐτῶν Πραξιφάνης συνέγραψε διατριβήν τινα περὶ ποιητῶν γενομένην ἐν ἀγρῷ παρὰ Πλάτωνι ἐπιξενωθέντος τοῦ Ἰσοκράτους.*

Porro communis est Stalbaumii ceterorumque cum Bakio haec opinio: Phaedrum eo consilio a Platone scriptum esse, ut ex itineribus redux, scholam aperturus, rhetorum qui tum temporis maxime Athenis florerent institutionem in invidiam vocaret, ab orationis artificio ad dialecticae studium traduceret juvenes. Quodsi disputanti de Lysia tale consilium attribuunt, consequens est ut ne ea quidem, quae de Isocrate in Phaedro scripsit, ex mero laudandi studio profecta arbitrentur. „Natura, inquit, philosophia quaedam in ejus mente inest;" at philosophum esse Isocratem non audias dicentem. „Minime mirum erit, si, cum aetate processerit, reliquis praestabit omnibus;" at hinc non consequitur, Platone judice Isocratem pervenisse quo oportuerit, i. e. revera eum reliquis praestare omnibus. „Aut [1]) si contentus his

1) Monuit Spengel. (Isocr. u. Plato p. 5, 6.) attendendum esse ad particulam *aut*, quam Cicero, Platonis Graeca Latine exprimens, usurpavit. *ἔτι τε* et *aut* toto coelo distant. Conjungit alterum, alterum sejungit. Quare verisimile Spengelio videtur,

non fuerit, (non mirum erit si) divino aliquo animi motu majora concupiscat." Majora ista quaenam intelligenda sint, mox declaratur: divino aliquo animi motu si correptus fuerit, in philosophiae, i. e. dialecticae, uberrima prata se transferet. Ergo nondum evasit philosophus et aliena sibi arrogavit, si forte, ut postea in Antidosi fecit, in or. adv. Soph. philosophum se professus sit [1]).

Omnino ea totius loci ratio mihi esse videtur, ut sub laudandi specie, si non reprehendendi, at adhortandi et meliora docendi lateat studium. Et quoniam conjecturis hac in re opus est, ad duas illas tertia haec addi potest. Platonem opinetur quis id egisse, ut memoriam Socraticae disciplinae revocando comiter et urbane errantem amicum castigaret, ab orationis blandimentis avocaret, deduceret vero, quo fore ut divino impetu abriperetur lepide Socratem facit augurantem.

Quamquam de Phaedri scriptionis tempore Stallbaumium inter et Bakium fere convenit, tamen de ejus anno natali est inter eos aliqua dissensio. Hic brevi post evulgatum ab Isocrate Panegyricum Phaedrum edi-

---

Ciceronem non ἔτι τε in suo exemplari legisse, sed εἴ τε, quam lectionem Bekkeri Codices exhibent. Concedit tamen εἴτε εἰ ita non usu tritam verborum conjunctionem esse, ut non alio loco se eam reperire meminerit. Praeterea aliquid interesse monet, utrum εἴτε an ἔτι a Platone scriptum sit. Hoc si usurparit, eum significasse, eloquentiae et philosophiae studia posse conjungi; illud a rhetorica ita divellere et sejungere dialecticam, ut qui rhetor idem philosophus esse non possit." Judicent de hac re alii. Mihi quidem acutius quam verius a Spengelio disputatum videtur.

1) XIII. 14, 28, 21.

disse Platonem existimat, i. e. Ol. 99, 4.[1]); Stallbaumius initio fere Ol. 98 Phaedrum literis exaratum esse statuit[2]). Quae cum ita sint, Isocratis verba in Panegyrico posita[3]), diuturnus labor quem in expolienda illa oratione insumsit rhetor, in Phaedro perstringi videntur Bakio[4]), quod idem ex Stallbaumii sententia ne potuit quidem fieri. Quidquid est, satis ostensum videtur, sive in Platonis verbis insit acerba illa reprehensio sive absit, Bakium rectissime statuisse, adjecta conditione mirifice temperari quae Isocrati tribuantur laudes. Praeterea, sive reprehendere sive adhortari sive laudare alter alterum nunc quidem voluerit, posthac nec laudandi nec commonendi amici amplius erit locus. Operae quantum perdiderit, poenitebit philosophum; laudes et blanditamenta excipient exagitantis tela; exsistet Gorgias de rhetorica disputans, artem suam defendens: cujus sub persona latere eundem illum, quem Socrates olim bona ad philophiam indole praeditum esse credidisset, hujusque artem et institutionem acerrime a Platone perstringi, satis a me probatum esse confido.

---

1) l. l. p. 44.
2) Paneg. 8.
3) l. l. p. 41.
4) Phaedr. 267 A. 278 D. Cf. Bák. l. l. p. 37.

CAPUT III.

Postquam per satis longas ambages eo processimus, ut ab Isocratis vita ingenio moribusque exorsi, deinde in Sauppii judicio, quod de Isocratis vanitate tulit, aliquantisper detenti, hinc, qui facilis erat transitus, ad Platonis Gorgiam et Phaedrum diverterimus, jam pergendum eo unde profecti sumus, ut viri ingenium moresque penitus exploremus. Et quoniam in praecedentibus satis ostensum est, qualis homo, quibus virtutibus vitiisque praeditus fuerit, nunc paucis absolvendum de orationibus illis, quas politicas et Hellenicas haud sine gloriatione vocare solet. Ut enim non ex uno alterove sed ex cunctis malis arborem cognoscimus, vel quemadmodum, ut nostrates ajunt, non una hirundo ver efficit, sic quaestio haec, quam pro viribus enucleandam sumpsi, non omni ex parte absoluta mihi videretur, nisi ad expositionem eorum, quae tam de se suaque disciplina quam de ceterorum institutione et philosophia dixit, adjungerem ejus de republica, de Graeciae statu, de optima civitatis forma judicium, atque consilia memorarem unde perditis patriae rebus salus petenda esse ei videretur. Quod quum aggredior, iterum Sauppium inspicio, mirum quantum a priore sententia discrepantem! Etenim cujus rhetoris vanitatem carpsit, eundem civili illa virtute quae ab omnibus maximi aestimatur, unum omnibus antecelluisse sine dubitatione affirmat, quum ea qua solet brevitate de Isocratis hac in parte laudi-

bus haec scribit: „Eins ist aber an Isokrates ächt und gross, seine Vaterlandsliebe" [1]).

Jam statim, opinor, quis metuat ne, quod plerumque fit, illud Isocratis vitium quo in tam acerbam Saupii castigationem incurrit, virtuti huic quam in sincero patriae amore idem vir doctus ponit, tenebras obduxerit, ita ut non patria, sed sua ipsius laus atque gloria ante omnia ei cara fuerint. Neque enim dissimulandum est, in vano homine fere omnia esse parva et minuta; deesse animum excelsum et firmum, vulgus vulgaresque opiniones, dum officio fungatur, despicientem. Videlicet parum habebit recta fecisse, optimorum in republica consiliorum auctor exstitisse; cupiet „digito monstrari et dicier: hic est!" Quae si ita sunt, vereor ne brevitati magis quam legentium persuasioni consuluerit Sauppius, qui quae valida argumentatione egerent, non ullo argumento adjecto nuda posuerit nec operae pretium se facturum putaverit, si statuae Isocratis honori dedicatae fundamentum quo niteretur subjiceret.

Mihi quidem in homine omnes animi affectiones ita inter se connexae videntur ut altera ad alteram se accommodet, altera alteram vel temperet et paene opprimat vel augeat et illustriorem reddat. Veluti Isocratem non fuisse animo magno et alto, docent ipsius scripta. Natura se timidum fuisse et ad res gerendas non idoneum, ipse fatetur: quare relicto reipublicae capessendae consilio intra scholae parietes se continuit. Jam quum ex domestica hac solitudine, remota illa a concionum turba et strepitu et a virorum politicorum

1) l. l. p. 405.

usu, orationes emiserit illas quae patriae caritatem arguere non immerito Sauppio videntur, tamen vix exspectes te in iis altiorem illum ac prope divinum animi spiritum reperturum, qui nisi apparet, nulla virtus digna est quae *magna* appelletur. Mitia ac placida fore quaecumque vir quietus et otiosus aut civibus suis aut cunctis Graecis impertiat consilia, defutura vero ea quae virum ostendant, dum propositum exsequatur, vitae commoda otium quietemque nihili ducentem, verisimillimum est. Eundem suspicari licet talia fere suasurum esse quae a vitae usu aliena sint nec quicquam profutura. Tempora enim qualia sint explorandi, aequaliumve, quos non habet cognitos, studia perspiciendi homini in otio sua elucubranti deerit facultas. Qui numquam in suggestu constitit verba facturus coram coriariis turbulentis et sutoribus, is facile sibi persuadebit de eloquentiae suae vi et efficacitate, cui immutare audientium animos et voluntates, praesentia tempora ad similitudinem eorum, quae aut numquam aut duobus tribusve saeculis ante fuerint, refingere facile videatur negotium. Erit autem ad hujusmodi novitatem maxime proclivis, cui cum alias ob causas, tum praesertim quod a republica capessenda, quo nihil ei optatius, naturae iniquitate abstinere cogitur, ideo rerum, temporum, hominum, quales hac sunt aetate, conditio studiaque valde displicent. Nec fieri poterit quin omnia quaecumque hodie deesse putet, copiose aut olim abundasse credat aut redundatura esse in beatos illos, quos sibi fingit: qui procul a negotiis, omnium rerum copia affluentes, justitiaque insignes neminem, ne ignavos quidem timidosque,

laedente, clari denique atque omnino mortalium beatissimi, aut olim aetatem degerint aut aliquando sint futuri, documento ut sint „omnia jam fieri, fieri quae posse negares." Quodsi ad patriae caritatem ceteraque, quae in homine isto mirifice conjuncta esse invenimus, tanquam cumulus accedet gloriae studium et vanitas, in tam diversis animi affectionibus difficile dictu erit quaenam teneat primas. Salutaria dicere jubebit ratio et patriae amor, magnifica et auditu jucunda, quibus gloriam plausumque sibi pariat, alia quaedam affectio. Atque equidem vereor, optio si quando ei facienda sit, ne jucunda et grata cum magno audientium legentiumque plausu et comprobatione suadere quam salutaria quae non placitura sint, homo ille quem fingimus expromere malit. Quod si fecerit, cuncti sane clamabunt Platones, rursus se in ipsa artis exercitatione coquum deprehendere, qui medicum se esse simulet. Est enim ferox et immite genus philosophorum nec indulgens in errores qui ex humana oriuntur imbecillitate. Verum philosophi quid dicant, nunc quidem nostra non refert. Timidus ille homo et cautus catusque, vanissimus idem qui est et gloriae cupidissimus, tum pacis et quietis aeque ac patriae amans, justi non tenax ille quidem, sed tamen justitiae, utilis quippe virtutis, laudator et, dum ne quid obstet, patronus et cultor, denique tempora quid exigant, non quaerens — talis igitur homo, quem tot fere quot Plato Sophistam exornavimus nominibus, si orator ac publici consilii auctor exsistet, quodnam potissimum argumentum sibi sumet tractandum? Scilicet de republica verba faciet, a reipublicae administratione remo-

tus, itaque materiem quam tractet pro arbitrio eligendi facultate gaudebit; id quod longe secus accidit in iis qui suggestum conscendunt. Domi igitur orator noster, prudenti deliberatione adhibita, otio abundans, elaborabit et elucubrabit orationem omnibus nnmeris absolutam, in quam, miscendo utile dulci, et salutaria et auditu lectuve jucunda congeret; argumentum autem erit tale quod non tantum ad pulcra suadenda et ad audientium animos delectandos accommodatum sit, sed ad gloriam atque eloquentiae famam ipsi comparandum valeat; grande igitur erit ac nobile, a privatorum negotiorum sordibus ita alienum, ut quam latissime pateat et ad quamplurimos pertineat.

Quae hucusque collegi et composui, ejusmodi sunt ut in quemlibet cadant rhetorem, a natura ita ut fuit Isocrates conformatum. Nunc quoniam de uno agimus Isocrate, addendum est, hunc ex Socratis disciplina profectum ad πολιτικὰς orationes conscribendas se contulisse. „Quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu:" utilitatem non saepe, sed semper in ore habebat Socratis discipulus. Ceterum aliud est utilitatem semper spectandam putare, aliud utilia facere et suadere. Isocrati persuasum est, quaecunque sint utilia, amplectenda esse, rejicienda quae inutilia. Ergo rejicienda censet quae ab ipsius cogitatis abhorreant, amplectenda quae ipse sequatur. Miram hanc esse et perversam argumentorum conclusionem, vel potius ne esse quidem conclusionem, sed meras nugas, facile concedo; sed idem contendo Socratis discipulum, quale revera utile illud esset, non umquam dialecticae ope usum quaesivisse; sui amore ductum,

optimum illud quo quis studia sua dirigeret, *τὸ ὠφέλιμον*, in suis tantum studiis positum esse firmiter credidisse. Ac Socratem ejusque disciplinam illi, quum de republica deque universae Graeciae commodis scriberet, in memoria haesisse, mihi quidem non posse videtur negari; sed merito dubitet quis, num Socrates discipulo suo de justitia, de temperantia, de omni virtute, de utilitate denique disputanti assensurus fuisset. Virtus, inquit, est utilis: ergo virtuti studeamus. Dixerat idem Socrates. Verum Isocrates de suo quaedam addit. Majores nostri, inquit, virtutem colebant, erant *σώφρονες καὶ δίκαιοι*; inde exstiterunt beati illi, quorum ultimi Periclea vixerunt aetate. Quodsi virtus majoribus nostris utilis fuit, eadem nunc quoque prodest: ergo redeamus ad antiquam majorum virtutem, i. e. ad majorum rempublicam, instituta, leges: nam *πολίτεια ψυχή ἐστι τῆς πόλεως, τοσαύτην ἔχουσα δύναμιν ὅσην περ ἐν σώματι φρόνησις* [1]). Socrates, opinor, haec si audisset, „O bone, dixisset, rerum invertis ordinem; quod prius est, id posteriore ponis loco. Bonorum enim hominum bonam esse *πολίτειαν* jure forsitan dici possit; sed *πολίτειαν* quum asseveras homines reddere probos, non magis acu rem tangis quam quum in Antidosi tua affirmabas institutionem tuam esse quasi virtutis officinam.” Quae Socrates non dixit, nobis dicere licere existimo. Erat Isocrates unus ex magno eorum numero, qui se utiles esse, nonnisi utilia agere velle, utilia semper dare consilia tibi narrant, quid autem revera utile sit, quid denique fieri possit, plane ignorant.

---

1) VII. 14.

Ne vero Isocratem aliquem mihi finxisse potius quam ipsam Sirenis Atticae imaginem expressisse videar, ex ipsius scriptis tanquam ex armamentario argumenta depromam quibus mea tuear. Isocrates in prooemio Panathenaïci quid sibi in conscribendis orationibus proposuerit, accurate explicat. *Νεώτερος — ὢν προῃρούμην γράφειν τῶν λόγων οὐ τοὺς μυθώδεις οὐδὲ τοὺς τερατείας καὶ ψευδολογίας μεστοὺς οἷς οἱ πολλοὶ μᾶλλον χαίρουσιν ἢ τοῖς περὶ τῆς αὑτῶν σωτηρίας λεγομένοις, οὐδὲ τοὺς τὰς παλαιὰς πράξεις καὶ τοὺς πολέμους τοὺς Ἑλληνικοὺς ἐξηγουμένους, οὐδὲ αὖ τοὺς ἁπλῶς εἰρῆσθαι δοκοῦντας καὶ μηδεμίας κομψότητος μετέχοντας, οὓς οἱ δεινοὶ περὶ τοὺς ἀγῶνας παραινοῦσι τοῖς νεωτέροις μελετᾶν, εἴπερ βούλονται πλέον ἔχειν τῶν ἀντιδίκων, ἀλλὰ πάντας τούτους ἐάσας περὶ ἐκείνους ἐπραγματευόμην τοὺς περὶ τῶν συμφερόντων τῇ τε πόλει καὶ τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι συμβουλεύοντας καὶ πολλῶν μὲν ἐνθυμημάτων γέμοντας, οὐκ ὀλίγων δ' ἀντιθέσεων καὶ παρισώσεων καὶ τῶν ἄλλων ἰδεῶν τῶν ἐν ταῖς ῥητορείαις διαλαμπουσῶν καὶ τοὺς ἀκούοντας ἐπισημαίνεσθαι καὶ θορυβεῖν ἀναγκαζουσῶν* 1). Deinde causam addit cur ad ejusmodi orationes conscribendas se contulerit. „Ad gerendam rempublicam me non esse idoneum, magno cum dolore olim sentiebam. *Οὐ μὴν ἐπὶ τούτοις ἀθυμήσας περιεῖδον ἐμαυτὸν ἄδοξον οὐδ' ἀφανῆ παντάπασι γενόμενον, ἀλλ' ἐπειδὴ τοῦ πολιτεύεσθαι διήμαρτον, ἐπὶ τὸ φιλοσοφεῖν καὶ πονεῖν καὶ γράφειν ἃ διανοηθείην κατέφυγον, οὐ περὶ μικρῶν τὴν προαίρεσιν ποιούμενος οὐδὲ περὶ τῶν ἰδίων συμβολαίων οὐδὲ περὶ ὧν ἄλλοι τινὲς ληροῦσιν, ἀλλὰ περὶ τῶν Ἑλληνικῶν καὶ βασιλικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων, δι' ἃ*

---

1) XII. 1, 2.

προσήκειν ᾤμην μοι τοσούτῳ μᾶλλον τιμᾶσθαι τῶν ἐπὶ τὸ βῆμα παριόντων ὅσῳπερ περὶ μειζόνων καὶ καλλιόνων ἢ ἐκεῖνοι τοὺς λόγους ἐποιούμην [1]). Egregie haec Isocratis verba ejus ingenium declarant. Quam gloriam, inquit, verba ad populum faciendo et publicis muneribus fungendo consequi non potui, eam artificiosa oratione et argumentorum gravitate mihi comparare studui. Duplex igitur ei fuit propositum. Nam primum, perinde ac si in media reipublicae luce versaretur, civibus suis atque universis adeo Graecis consilia dare, virum se praestare πολιτικόν, etiam post abjectum reipublicae capessendae consilium, voluit studuitque. Itaque ejus πολιτικοὶ λόγοι non merae sunt declamationes ad scholae usum comparatae, sed hoc praecipue consilio conscripti ut ipsius de republica sententiam declararent et commendarent. Ergo non tantum discipulorum commodis consulere voluit, neque assentiendum Dionysio Hal., qui existimare videtur, Isocratem non aliam ab causam λόγους conscripsisse πολιτικούς, nisi ut discipulis exempla proponeret quibus eos ad rempublicam gerendam idoneos redderet [2]). Contra statuendum est, eo consilio λόγους illos ab eo esse conscriptos, ut naturae vitium scribendi opera et facultate compensaret, ut gloriae studio ceterisque cupiditatibus indul-

---

1) XII. 9—12.

2) Dion. Judic. d. Is. 1. πεφυρμένην δὲ παραλαβὼν τὴν ἄσκησιν τῶν λόγων ὑπὸ τῶν περὶ Γοργίαν καὶ Πρωταγόραν σοφιστῶν, πρῶτος ἐχώρησεν ἀπὸ τῶν ἐριστικῶν τε καὶ φυσικῶν ἐπὶ τοὺς πολιτικοὺς καὶ περὶ ταύτην σπουδάζων τὴν ἐπιστήμην διετέλεσεν, ἐξ ἧς, ὥς φησιν αὐτὸς, τὸ βουλεύεσθαι καὶ λέγειν καὶ πράττειν τὰ συμφέροντα παραγίνεται τοῖς μαθοῦσιν.

geret. Ceterum quae orationes elaboratae erant ut ejus de republica sententiam declararent, iisdem pro declamationibus utebatur, quae discipulis eloquentiae exemplum et stili exercendi normam praeberent. Quod ita se habere, argumento sunt ipsae ejus suasiones, quae non in qualibet declamandi materie versantur, sed unum in suadendo tenorem servant, aut Graecos ad bellum Persis inferendum adhortantur, aut Atheniensibus quomodo rebus afflictis subveniendum sit praecipiunt.

Verum duplex Isocrati fuisse propositum supra jam monuimus. Vir politicus qui esse voluit, idem fuit rhetoricae artis praeceptor, germanissimus sophista. Atque hac in parte de ejus laudibus detrahere ita non cupio, ut Ciceroni credam, praeter ceteros laudandum esse Isocratem contendenti, qui „primus instituerit dilatare verbis et mollioribus numeris explere sententias" [1]. Equidem non obsto, quominus vel princeps in hoc artificiosae orationis genere vocetur. Sed aliud est in coquinaria arte praestare ceteris, aliud coquinariae adjungere medicam. Metuendum videlicet, ne medico labem adspergat coquus neve parum commoda et utilis aegrotantibus sit ars cujus illecebris validiores delectantur. Coquum autem eundemque medicum se professus est Isocrates: „Nolui, inquit, de rebus scribere (aut dicere) fabulosis, nolui portenta et mendacia oratione exornare; id egi ut orationes conscriberem tales quae utilia suasurae essent huic civitati et cunctae Graeciae" [2]. Haec medicus e Socratica disci-

1) Or. 40.

2) In proöemio Panathenaïci.

plina profectus, civis Atticus, salutem qui spectat patriae communis gloriamque quae inde in ipsum sit redundatura. At postquam de proposito suo exposuit, continuo civem excipit sophista: „Scripsi autem orationes non tantum utiles, sed plenas etiam πολλῶν ἐνθυμημάτων, οὐκ ὀλίγων δ' ἀντιθέσεων καὶ παρισώσεων καὶ τῶν ἄλλων ἰδεῶν τῶν ἐν ταῖς ῥητορείαις διαλαμπουσῶν. Scilicet digna haec sunt in quibus opera insumatur: quippe τοὺς ἀκούοντας ἐπισημαίνεσθαι καὶ θορυβεῖν ἀναγκάζουσιν [1]).

Apparet longe diversum esse alterum ab altero proposito. Utilia enim qui suadere volet, is persuadendi rhetoricam esse opificem existimabit et orationis luminibus ita utetur ut delectando permoveat animos et auditores quo velit adducat. Sin aliquis id sibi proponit, ut orationibus ornamentorum plenis artem ostentet suam, si audientium vult excitare plausus, non eos qui vi veritatis extorquentur, sed quales histrionibus impertiri solent, dubitare quis possit, num talis hominis multum intersit, utrum ἅλας et βομβυλιούς [2]), Helenam et Euagoram, an vero Graecorum suaeque civitatis res gestas et laudes et fortunam orationis lumine exornet. Verum egregie fallitur qui praeoccupata ductus opinione de Isocrate sic judicat. Nam ψυχῆς Platonicae instar Isocrates sophista non est immemor divinae suae originis; obversatur ejus animo species quaedam et figura viri politici, quae etsi olim amplecti conantem effugit lusitque, tamen penitus animo

1) In proöemio Panathenaïci.

2) X. 12.

inhaeret nec minora ista multum curare sinit. Quodsi Isocrati ars sua non solum docendi et suadendi, sed delectandi etiam est opifex, tamen utrumque ita conjungere studet, ut interdum quidem rhetor quid valeat, laudando Busiride vel Helena, vel Euagora vel Archidamo, ostendat, plerumque tamen graviora et utilia sibi sumat tractanda. Sed operae pretium est, de eligendi argumenti negotio ipsum audire disputantem. Quae enim de duarum artium conjunctione paullo ante dixi, ipsius oratoris verbis optime explicabuntur. In exordio Panegyrici, dicturus sum, inquit, *περί τε τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς τοὺς βαρβάρους καὶ τῆς ὁμονοίας τῆς πρὸς ἡμᾶς αὐτούς*. Enumerantur deinde variae quae ad illud potissimum argumentum eligendum eum impulerint causae. „Haud ignoro *ὅτι πολλοὶ τῶν προσποιησαμένων εἶναι σοφιστῶν ἐπὶ τοῦτον τὸν λόγον ὥρμησαν*: verumtamen a proposito non absistendum duxi: nam *ἅμα μὲν ἐλπίζω τοσοῦτον διοίσειν ὥστε τοῖς ἄλλοις μηδὲν πώποτε δοκεῖν εἰρῆσθαι περὶ αὐτῶν, ἅμα δὲ προὔκρινα τούτους καλλίστους εἶναι τῶν λόγων, οἵτινες περὶ μεγίστων τυγχάνουσιν ὄντες καὶ τούς τε λέγοντας μάλιστ' ἐπιδεικνύουσι καὶ τοὺς ἀκούοντας πλεῖστ' ὠφελοῦσιν, ὧν εἷς οὗτός ἐστιν.* — Gloriam, ostentationem et utilia suadendi studium mirifice conjuncta in unum hic jam videmus. Pergit ita: *ἔπειτ' οὐδ' οἱ καιροί πω παρεληλύθασιν, ὥστ' ἤδη μάτην εἶναι τὸ μεμνῆσθαι περὶ τούτων. Τότε γὰρ χρὴ παύεσθαι λέγοντας, ὅταν ἢ τὰ πράγματα λάβῃ τέλος καὶ μηκέτι δέῃ βουλεύεσθαι περὶ αὐτῶν ἢ τὸν λόγον ἴδῃ τις ἔχοντα πέρας, ὥστε μηδεμίαν λελεῖφθαι τοῖς ἄλλοις ὑπερβολήν· ἕως δ' ἂν τὰ μὲν ὁμοίως ὥσπερ πρότερον φέρηται, τὰ δ' εἰρημένα φαύλως ἔχοντα τυγχάνῃ, πῶς οὐ χρὴ σκοπεῖν*

καὶ φιλοσοφεῖν τοῦτον τὸν λόγον, ὃς ἢν καθορθωθῇ, καὶ τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς ἀλλήλους καὶ τῆς ταραχῆς τῆς παρούσης καὶ τῶν μεγίστων κακῶν ἡμᾶς ἀπαλλάξει. — Itaque de argumento digno, in quo civis bonus idemque laudis cupidus versetur, dicturus est opportuno tempore. Id autem cernitur duabus in rebus. Nam dicendo ceteros superare poterit sophista; utilia vero et temporibus opportuna suasurus est alter ille, sive Isocrates is sive Socratis discipulus sive patriae amans homo Graecus appellandus est. Ceterum dubius est adhuc ancepsque certaminis inter utrumque, sophistam dico et virum politicum, eventus, nec uter protagonista sit futurus, uter deuteragonistae acturus sit partes, satis sciri potest. Sophista enim dum in argumenti eligendi negotio occupatus est, nil obstat quominus utilitatis rationem habeat et communem patriae gloriam spectet. Igitur verborum artificem Sophistam et patriae amantem Socraticum credas inter se partitos esse imperium. Jam vero legantur quae ad superiora illa adduntur: quam omnia sint mutata, intelliges. Altero, i. e. politico viro, emortuo, alter, germanus ille sophista, in ejus honores et legitimam regni partem succedit, nec jam cuiquam praeter sophistam regnandi relinquitur locus. Transacto eligendi negotio, res gestae erunt enarrandae; quae cum ab aliis saepius jam oratione celebratae sint, cavendum erit ne decantata tritaque argumenta nauseam faciant audituris et lecturis. Verum sophistae nihil arduum est. Εἰ *μὲν μηδαμῶς ἄλλως οἷόν τ' ἦν δηλοῦν τὰς αὐτὰς πράξεις ἀλλ' ἢ διὰ μιᾶς ἰδέας, εἶχεν ἄν τις ὑπολαβεῖν ὡς περίεργόν ἐστι τὸν αὐτὸν τρόπον ἐκείνοις*

λέγοντα πάλιν ἐνοχλεῖν τοῖς ἀκούουσιν· ἐπειδὴ δ' οἱ λόγοι τοιαύτην ἔχουσι τὴν φύσιν ὥσθ' οἷόν τ' εἶναι περὶ τῶν αὐτῶν πολλαχῶς ἐξηγήσασθαι καὶ τά τε μεγάλα ταπεινὰ ποιῆσαι καὶ τοῖς μικροῖς μέγεθος περιθεῖναι, καὶ τά τε παλαιὰ καινῶς διελθεῖν καὶ περὶ τῶν νεωστὶ γεγενημένων ἀρχαίως εἰπεῖν, οὐκέτι φευκτέον ταῦτ' ἐστὶ περὶ ὧν ἕτεροι πρότερον εἰρήκασιν, ἀλλ' ἄμεινον ἐκείνων εἰπεῖν πειρατέον [1]. — Sunt haec ad delectandi studium egregie accommodata, ad persuadendum aliquanto minus. De veritate enim actum esse, omnia flexurum esse quo velit, dum orationis decori et splendori inserviat artifex, jam ita persuasum est audientibus legentibusque, ut prooemio nondum ad finem perducto omnem de re utili gloriosaque persuadendi facultatem ipse sibi ademerit orator. Sed omnium maxime mirum videri debet quod ingenue atque ultro profitetur, se velle *τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν*. De rebus gestis et gloria majorum, de praesenti rerum conditione, de principatu non Lacedaemoniis, sed Atheniensibus ob majora horum erga cunctos Graecos merita tribuendo, omnis erit oratio. De quibus quomodo sit dicturus, ne quem fugiat, haec insuper addit: *αἱ μὲν γὰρ πράξεις αἱ προγεγενημέναι κοιναὶ πᾶσιν ἡμῖν κατελείφθησαν, τὸ δ' ἐν καιρῷ ταύταις καταχρήσασθαι καὶ τὰ προσήκοντα περὶ ἑκάστης ἐνθυμηθῆναι καὶ τοῖς ὀνόμασιν εὖ διαθέσθαι τῶν εὖ φρονούντων ἴδιόν ἐστιν. ἡγοῦμαι δ' οὕτως ἂν μεγίστην ἐπίδοσιν λαμβάνειν καὶ τὰς ἄλλας τέχνας καὶ τὴν περὶ τοὺς λόγους φιλοσοφίαν, εἴ τις θαυμάζοι καὶ τιμῴη μὴ τοὺς πρώτους τῶν ἔργων ἀρχομένους, ἀλλὰ τοὺς ἄρισθ' ἕκαστον αὐτῶν ἐξεργαζομένους,*

1) XII. 7, 8.

μηδὲ τοὺς περὶ τούτων ζητοῦντας λέγειν περὶ ὧν μηδεὶς πρότερον εἴρηκεν, ἀλλὰ τοὺς οὕτως ἐπισταμένους εἰπεῖν ὡς οὐδεὶς ἂν ἄλλος δύναιτο [1]. — Jam sensim eo perducta est res, ut derelicto persuadendi consilio ad meram artis suae, τῆς περὶ τῶν λόγων φιλοσοφίας, ostentationem se composuisse rhetor videatur. Hoc autem in alio quovis illius aetatis magistro, si non laudandum, at ferendum est. Hic enim ut ad eloquentiam instituat discipulos, artis praecepta exemplis illustrare cogitur; exaggeratio et extenuatio ceteraque orationis artificia frequenter ei adhibenda sunt, ut aliis quomodo his utendum sit demonstret; denique sive de apicis sive de alia qualibet re scribat, scribit ad aurium voluptatem. Sed aliud praeter istud Isocrati fuit propositum: περὶ τῶν συμφερόντων, περὶ Ἑλληνικῶν καὶ βασιλικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων scribere se et scripsisse, saepissime ipse asseverat. In fine Panegyrici hanc ponit sententiam: αὐτοὺς οὖν χρὴ συνδιορᾶν ὅσης ἂν εὐδαιμονίας τύχοιμεν (si regi Persarum bellum intulerimus), καὶ μὴ μόνον ἀκροατὰς γενομένους ἀπελθεῖν, ἀλλὰ τοὺς μὲν πράττειν δυναμένους παρακαλοῦντας ἀλλήλους πειρᾶσθαι διαλλάττειν τήν τε πόλιν τὴν ἡμετέραν καὶ τὴν Λακεδαιμονίων, τοὺς δὲ τῶν λόγων ἀμφισβητοῦντας πρὸς μὲν τὴν παρακαταθήκην καὶ περὶ τῶν ἄλλων ὧν νῦν φλυαροῦσι παύεσθαι γράφοντας, πρὸς δὲ τοῦτον τὸν λόγον ποιεῖσθαι τὴν ἅμιλλαν καὶ σκοπεῖν ὅπως ἄμεινον ἐμοῦ περὶ τῶν αὐτῶν πραγμάτων ἐροῦσιν, ἐνθυμουμένους ὅτι τοῖς μεγάλ' ὑπισχνουμένοις οὐ πρέπει περὶ μικρὰ διατρίβειν οὐδὲ τοιαῦτα λέγειν ἐξ ὧν ὁ βίος μηδὲν ἐπιδώσει τῶν πεισθέντων, ἀλλ'

---

1) XII. 8, 9, 10.

ὧν ἐπιτελεσθέντων αὐτοί τ' ἀπαλλαγήσονται τῆς παρούσης ἀπορίας καὶ τοῖς ἄλλοις μεγάλων ἀγαθῶν αἴτιοι δόξουσιν εἶναι [1]). Serio haec dicta esse, non est quod dubitemus; itaque revera sibi proposuisse videtur, ut talia scriberet, ἐξ ὧν ὁ βίος τῶν πεισθέντων ἐπιδώσει. Atqui initio tantum non palam professus est, se nihil aliud agere nisi ut omnes dicendo superet, artis suae praestantiam ostentet [2]). Addidit verba, quibus eorum occurreret reprehensioni qui demonstrativum dicendi genus tanquam nimis elaboratum contemnerent: „Tantus, inquit, horum est error, ut cum judicialibus conferant τοὺς λόγους τοὺς πρὸς ὑπερβολὴν πεποιημένους· ὥσπερ ὁμοίως δέον ἀμφοτέρους ἔχειν, ἀλλ' οὐ τοὺς μὲν ἀσφαλῶς, τοὺς δ' ἐπιδεικτικῶς. Sed nihil mihi cum talibus hominibus: ego in scribendo respexi τοὺς οὐδὲν ἀποδεξομένους τῶν εἰκῇ λεγομένων, ἀλλὰ δυσχερανοῦντας καὶ ζητήσοντας ἰδεῖν τι τοιοῦτον ἐν τοῖς ἐμοῖς, οἷον παρὰ τοῖς ἄλλοις οὐχ εὑρήσουσιν [3]).

Haec legenti in mentem mihi venit judicii quod de Panegyricis facit Quinctilianus: „Mihi, inquit, ἐπιδεικτικόν non tam *demonstrationis* vim habere quam *ostentationis* videtur. An quisquam negaverit Panegyricos ἐπιδεικτικούς esse? Atqui formam suadendi habent et plerumque de utilitatibus Graeciae loquuntur" [4]). Isocratem non excipit, eodem *ostentationis*, quae sub specie utilia suadendi lateat, vocabulo omnes quicunque Panegyricos scripserunt comprehendit. Cicero autem,

1) IV. 187, 188, 189.
2) IV. 10, 14.
3) IV. 11, 12.
4) I. Or. 4, 13, 14.

addito nomine, *Isocratem ad voluptatem aurium scripsisse* affirmat [1]). Dionysius Hal. et Panegyricum et Philippum et Antidosin *laudationes* esse contendit, *τὸ μὲν Ἀθηναίων, τὸ δὲ Φιλίππου, τὸ δ' ἑαυτοῦ.* Addit autem: *ἀλλὰ τοῖς μὲν Ἀθηναίων ἐγκωμίοις καὶ τοῖς Φιλίππου συμβουλὴν ὑποθέμενος, τὸ εὐπρεπὲς τοῦ ἐγκωμίου ἐπραγματεύσατο, καὶ πεποίηται ὥσπερ πάρεργον συμβουλῆς τὸ ἐγκώμιον, τὸ δ' ἐστὶν ἔργον, τὸ ἐγκώμιον, πάρεργον δ' ἡ συμβουλή· αὐτῷ δ' ἔδωκεν ἐπαίνου ἀφορμὴν ἐν ἀνάγκῃ ἀπολογίας πρὸς τὰ κατηγορημένα* [2]). E tribus illis, gravissimis sane hac in causa judicibus Dionysius mihi proximus a vero abesse videtur. Isocratem existimat, quo melius quos vellet laudaret, speciem assumpsisse suadentis, revera autem ad laudandi propositum suadendi illud consilium tanquam *πάρεργον* aliquod, veluti assutum pannum, accedere. Equidem credo Isocratem non tantum quum Panegyricum conscriberet, sed per totum vitae cursum diversissimas res atque inter se discrepantes, coqui et medici artes, conjungere voluisse. Veluti Panegyrici et Philippi non illud tantum fuit consilium ut se ostentaret, neque ut audientium legentiumque consuleret delectationi, neque ut artificiose sub specie suadentis laudaret; accessit ad illa satis sincerum utilia suadendi studium, quod quum in Philippo multo magis quam in Panegyrico cernatur, tum in Areopagitico et in oratione quam de Pace scripsit manifesto apparet. Sed vivebat a republica remotus; quocirca ad scriptiones ei erat con-

---

1) Or. 38.

2) Ars rhet. IX. 12.

fugiendum, si sua in hominum notitiam venire vellet. Quas elaboraverat orationes, eae vel antequam divulgarentur recitabantur ἐν ταῖς πανηγύρεσι [1]), vel ad regem aliquem principemve mittebantur, vel continuo, scriptione absoluta, edebantur (διαδιδόναι XV. 87, ἐκδιδόναι V. 11.) Sed quoquo modo consilia sua aliis impertiebat, sive auditoribus sive lectoribus scribebat, probe noverat aliud esse dicere in veris causis, apud judices aut pro concione, aliud ac plane diversum suasiones scribere quae lectu audituve dignae esse viderentur. De his enim qui judicaturi erant, non tantum de rerum veritate, de utilitate consiliorum judicium erant laturi, sed de ipso rhetore qui ista conscripserat, de eloquentiae artis praeceptore deque ipsa ejus arte; quin veritatis ad normam aliquanto minus judicium directuri erant, quam ad delectationis et jucunditatis ex opere artificiose elaborato perceptae [2]). Mentiri, res supra quam verum esset aut exaggerare aut extenuare rhetori licebat, dum eleganter atque artificiose id faceret. Ad aurium voluptatem enim et ad pompam, πρὸς ἐπίδειξιν, non ad pugnam, talia comparata esse, constans erat omnium opinio [3]). Illis ut satisfaceret judicibus utque reliquis sophistis ipse praestare videretur, strenue operam

---

1) Is. Or. V. 12. Utrum ab ipso Isocrate an ab anagnosta aliquo recitatae sint, nescimus; equidem credo eum, quum voce idonea careret, anagnostae ope usum esse, quamquam Aelianus ipsum Isocratem ἐπιδείξασθαι τὸν Πανηγυρικόν affirmat (XIII. 11.).

2) Paneg. 11, 12. Panath. 246.

3) Vid. quae de hac opinione ipse Is. scribit: V. 10, 25. XII. 246, 260. XV. 55.

dedit Isocrates. Agebatur enim ipsius gloria, agebatur scholae cui praeerat celebritas; ab aliis se in hoc honoris et gloriae campo superari homo vanus non patiebatur; imo palam profitetur se, de rebus ab aliis jam tractatis dicturum, *ἐλπίζειν τοσοῦτον διοίσειν ὥστε τοῖς ἄλλοις μηδὲν πώποτε δοκεῖν εἰρῆσθαι περὶ αὐτῶν* (IV. 4.) [1]).

Jam vero res ipsa postulabat, ut delectu facto non in quolibet argumento sed in iis potissimum versaretur, quae novitate, magnitudine, gravitate quam plurimis se commendarent. Itaque haud mirandum fuisset, si spretis argumentis ex portentis et mendaciis, ex sale apicisque petitis [2]), hanc unam ob causam ad *πολιτικοὺς λόγους* conscribendos se contulisset, quod inde maximam delectationem capturos esse studiorum suorum fautores jure auguraretur. Quodsi hac mente ex infinita rerum copia argumentorum delectum fecisset, pulcriora aut ad civium suorum omniumque Graecorum delectationem ma-

---

1) Antequam scripta oratio ex officina emitteretur, *ὁ λόγος ἐδείκνυτο*, i. e. in discipulorum et familiarium corona recitabatur. Qui postquam quid sibi placeret, quid minus, quid mutatum vellent, quid pulcre dictum videretur, significaverant, Isocrates eorum quae animadverterant ratione habita, denuo manum operi admovebat et quae merito in eorum reprehensionem incurrisse videbantur, delebat aut emendabat (V. 17, 22, 23. XII. 200, 233. XV. 141 sqq.). — Quantopere hominum curaret plausus, ipse significat in proöemio Panathenaïci. — In libro ad Philippum misso vereri se profitetur ne Philippus non idoneo utatur anagnosta (V. 26, 27, 28.). Multa huc addi possint, quae quam anxie semper studuerit ut civibus exterisque sua probaret, declarant.

2) X. 1—14. XV. 268, 269.

gis accommodata vix invenire potuisset. Neque enim cunctis hominibus, cujuscunque essent loci et ordinis, scripsit, non infimam plebem, sed divites nobilesque et quicumque animo essent bonis literis favente, hos respexit et delectare studuit. Quibus cum scriberet, quid pulcrius, quid jucundius excogitari potuit, quam illorum laudatio temporum, quibus effrenata plebis licentia nondum in omnia invaserat, honores magistratusque ad divites et optimates deferebantur? Quam laudationem ita instituere poterat, ut cum ea conjuncta esset temporum ante actorum cum his, quae nunc essent, comparatio; quibus inter se opponendis rhetori ampla dabatur pingendi copia. Subsequebatur medicinae, quae tot tantisque malis adhibenda esset, commemoratio: revertendum esse ad majorum σωφροσύνην καὶ ἀρετήν, i. e. ad eorum πολίτειαν, quanto cum audientium legentiumque si non assensu, at gaudio et voluptate dixisse putandus est! Neque vero deerat opportunitas laudandae illius regiminis formae, quae per tot saecula stabilis atque incorrupta permansisse, ad res maximas gerendas idoneos fecisse Spartiatas existimabatur, quaeque plebis licentiae fortiter frena injiciendo, patricios tantum in regni partem vocando jamdudum in maximam multorum Atheniensium, eadem sibi exoptantium, venerat admirationem. Quodsi extra artiores illos fines, quibus patriae laus et utilitas continebatur, egredi rhetori forte lubebat, tota patebat Graecia, in qua tanquam in latissimo campo audax ejus exsultaret oratio. Erat arduum sane opus, in tanta Graecorum discordia mutuaque invidia, argumentum invenire quod diversas diversarum civita-

tum mentes voluntatesque teneret et conciliaret: de praesenti rerum conditione aut omnino silendum erat, aut ita dicendum ut ad praeteritorum temporum, quorum gratissima cunctis erat memoria, recordationem et ad futurorum pulcram imaginem converteret animos. Quid autem hoc in genere ad rhetoris, voluptati et delectationi inservientis, consilium magis convenire potuit quam adhortatio ad concordiam et ad bellum Persarum regi inferendum? Scilicet fierine illud posset, ut in concordiam redigerentur Graeci, non opus erat quaerere; quippe artifici licebat *τὰ μεγάλα ταπεινὰ ποιῆσαι*, praetermittere quae expedire non posset. Illa vero quam speciosa dictu erant, quam jucunda auditu: res gestae et gloria majorum, justum barbarorum odium, Persarum turpia facta, mores turpiores, pax Antalcidea per vim et injustitiam composita, magni regis parvae opes, decem illorum millium, Agesilai, Euagorae laudes. Quid multa? Fore ut Graecorum quasi tactu totum illud vetus aedificium, a Cyro constructum, collabefieret, satis jam erat demonstratum. Ostendebantur dein pulcherrima concordiae et virtutis praemia: coloniae inopum in Asiam deductae, praeda ingens, omnium omnino summa beatitudo, Graecia per totam regnans Asiam. Restabat ut de civitate, qua duce haec omnia perpetranda essent, ageretur. Comparabantur Atheniensium beneficia in universos Graecos collata cum Lacedaemoniorum meritis. Haec summa rhetori erat artem ostentandi opportunitas. Erant enim Athenienses ita celebrandi, ut ne Lacedaemonii eorumque amici laederentur, ut prudentibus scripsisse videretur *λόγον πολλῆς μὲν ἱστορίας γέμοντα καὶ*

φιλοσοφίας, παντοδαπῆς δὲ μεστὸν ποικιλίας καὶ ψευδολογίας [1]).

Quodsi ad Dionysium [2]), ad Jasonem [3]), ad Philippum librum de eodem argumento scriptum mittere in animo esset, paucis tantum mutatis reliqua retineri poterant. Veluti quum Philippum orationis delectare illecebris cupit, hunc ex barbaro homine in Graecum transformat, a divo Hercule ducentem originem. Enarrantur fortia Herculis facta, ὃς ἁπάσης κατέστη τῆς Ἑλλάδος εὐεργέτης; fama, virtute, Graecorum amore aequandum esse vel etiam superandum hunc tantum proavum per artificiosos verborum ambitus docetur Philippus, postquam admonitus est ne per ineptum anagnostam orationis nitorem interire patiatur [4]).

Erant igitur Isocratis λόγοι Ἑλληνικοὶ καὶ πολιτικοὶ revera πρὸς ὑπερβολὴν πεποιημένοι, ad aurium voluptatem et delectationem scripti; quod probe intelligebant ejus discipuli ceterique quibus δεικνύναι τοὺς λόγους solebat, qui tantum aberant ut ad veritatis aut utilitatis normam suum de praeceptore aut familiari judicium dirigerent, ut memorabile facinus et dignum quod narraret Isocrati commisisse viderentur, si quan-

1) XII. 246.

2) Vid. Epist. VI. 7 sqq.

3) Quum Isocrati cum Jasone familiaritas atque hospitium intercesserit (Epist. VI. 1.), verisimillimum est, hunc vehementius etiam quam Dionysium et Philippum a rhetore impulsum esse ut Graecos in Asiam transduceret et Persarum opimis pasceret praedis.

4) V. 29.

do laudassent et admirati essent non tantum *τὸν λόγον μηδὲ τὴν λέξιν ὡς ἀκριβῶς καὶ καθαρῶς ἔχουσαν (ὅπερ εἰώθασί τινες ποιεῖν), ἀλλὰ τὴν ἀλήθειαν τῶν πραγμάτων* et consiliorum utilitatem [1]). Prudentes vero qui editas ejus orationes legebant, quum eadem fere quae familiares illi admirabantur, tum otiose in scriptum opus inquirendo ad pleniorem ejus intelligentiam pervenire studebant. Etenim se suamque rempublicam laudari parum habebant, pulcram esse volebant atque artificiose elaboratam talem laudationem, subesse aliquid quod vulgarem hominum captum fugeret [2]).

Subesse aliquid, nec tamen idem quod prudentibus illis, olim sibi etiam visum esse narrat Niebuhrius, cujus de Areopagitico haec sunt verba: „Ich habe den Areopagiticus gelesen und wiedergelesen; ich sagte mir: es muss etwas darin stecken was du nicht siehst, weil Alte und Neuere ihn bewundern." Invenitne tandem quod penitus scrutando quaerebat? Minime vero. „Der Areopagiticus, der die Athener auffordert die alte Zeit aufleben zu lassen, ist ganz albern, er ist weiter nichts als die eine Klage: Ach! wären doch die alten goldenen Zeiten wieder da! aber nie kommt ein Vorschlag vor, wie man denn die alten goldenen Zeiten zurückführen könne, davon steht kein Wort darin." Quum autem eadem omnium Isocratis orationum sit ratio, ut praeter verborum artificia et ambitus artificiose comprehensos nihil dignum quod attendas in iis deprehendi possit, non intelligere se addit,

1) V. 4.
2) XII. 246, 247 sqq., imprimis 251 sqq.

qui factum sit ut tam sterilis ingenii homo ad tantam pervenerit celebritatem [1]).

Quodsi admiratores illi ob consiliorum prudentiam et utilitatem, ob rectum sincerumque judicium Isocratis suasiones laudibus extulissent, Niebuhrio omnino esset assentiendum. Iis enim quae rhetor expromsit, aut jejuniora aut a vitae usu magis aliena vix excogitari possint. Verum aliis de causis eum cum olim admirabantur veteres, tum hodie nonnulli dignum qui legatur existimant. Veluti Cicero quin Isocratem valde admiratus sit haud dubium est. Legit hic Panathenaïcum, in quo ipse Isocrates testatur se, spretis futilibus argumentis, *περὶ τῶν συμφερόντων τῇ τε πόλει καὶ τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι* scripsisse [2]). Jam vero quale est ejus de Isocrate judicium? „In Panathenaïco, inquit, Isocrates se ea (i. e. verborum artificia ceteraque quae sunt ejusdem generis) studiose consectatum fatetur, *non enim ad judiciorum certamen sed ad voluptatem aurium scripserat* [3]).'' Cicero igitur rhetorem admiratur clarissimum, cujus ex ludo meri exiissent principes [4]); quotquot antiquitus ferebantur Isocratis libri, omnes fortasse manibus triverat, non ut virum *πολιτικόν* de republica dicentem audiret, sed ut rhetoris cognosceret artificia et genus dicendi. Isocratis consilia utrum recta an prava, sapientia an absurda fuissent, nihil quicquam illius intererat. Aequalibus vero suis laude et ad-

1) Vortr. ü. a. G. II. p. 300.
2) XII. 2.
3) Or. 38.
4) De Or. II. 54, 94.

miratione dignus videbatur Isocrates, non tantum quod egregius esset rhetor et sophista, optimus *λογοδαίδαλος*, verum etiam quod ipsorum sensa cogitataque optime et pulcherrime dicendo exprimeret, quod in eligendo argumento, in rebus gestis enarrandis totum se ad auditorum lectorumque componeret voluptatem. Praeterea et semper fuerunt homines nec umquam deerunt, qui „quam pulcre! quam belle!" exclament, simulac de justitia, de virtute, de temperantia aliquem audiant declamantem; quibus numquam nauseam creet qui haec in ore habeat; qui ad utilitatem aut opportunitatem exigere dicta non audeant. Horum de grege unus est Dionysius Hal., qui de Isocratis suasionibus haec scribit: *καὶ ἔγωγέ φημι χρῆναι τοὺς μέλλοντας οὐχὶ μέρος τι τῆς πολιτικῆς δυνάμεως ἀλλ' ὅλην αὐτὴν κτήσασθαι, τοῦτον ἔχειν τὸν ῥήτορα διὰ χειρός· καὶ εἴ τις ἐπιτηδεύει τὴν ἀληθινὴν φιλοσοφίαν, μὴ τὸ θεωρητικὸν αὐτῆς μόνον ἀγαπῶν, ἀλλὰ καὶ τὸ πραγματικὸν, μηδ' ἀφ' ὧν αὐτὸς ἄλυπον ἕξει βίον προαιρούμενος, ἀλλ' ἐξ ὧν πολλοὺς ὠφελήσει, παρακελευσαίμην ἂν αὐτῷ τὴν ἐκείνου τοῦ ῥήτορος μιμεῖσθαι προαίρεσιν* [1]). Exspectes, rhetorem te auditurum alterius rhetoris salubria et recta consilia commendantem, atque demonstrantem inesse in his vim persuasionis talem, cui leves vulgarium hominum animi resistere nequeant; egregie te fefellerit exspectatio. „Modestiores, dicit, et patriae amantes et justos piosque reddet homines, quicumque Isocratem ad illas virtutes hortantem imitando exprimet" [2]). Quasi vero non stul-

1) In judicio de Isocrate §. 4.

2) Ib. §. 5. sqq.

tissimus sit atque ad rempublicam gerendam minime idoneus, qui, quum salutari et praesenti consilio rebus mederi afflictis nesciat, civibus pii et probi ut sint, reliqua Dis permittant, suadeat.

Equidem nec Niebuhrio assentiendum arbitror, in Isocratis orationibus nihil nisi inanem verborum strepitum inesse affirmanti, nec Dionysio, dicendi, non virtutis, magistrum Isocratem fuisse oblito. Deducendo addendoque videndum quae reliqui summa efficiatur. Deductis autem verborum artificiis, deducto ad delectationem et voluptatem se componendi studio, deductis denique quae sive e Socratica disciplina sive aliunde desumta in suum rhetor convertit usum, nonnulla relinquuntur quae Isocratis indoli ingenioque tam apte congruunt, ut fucata esse simulatave aut aliunde petita non possint, nec rhetoris, sed hominis propria ac peculiaria sint habenda; quae denique arguunt delectandi consilio adjunctum fuisse alterum, ea auditoribus persuadendi de quibus ipsi esset persuasum. Haec quaenam sint, nobis qualis ille homo et vir πολιτικός fuerit quaerentibus, nunc videndum est.

Satis graves profecto erant causae, cur Isocrates laudator exsisteret temporis acti. Nam primum Atheniensium fere omnium communis erat haec consuetudo, ut vetera semper respicerent tempora; quae de bellis Persicis rebusque a majoribus gestis memoriae prodita essent, in ore habebant, ut nostrates quidam bellum per octoginta annos contra Hispaniae reges gestum. Itaque Demosthenes, quum parum fructuosam esse majorum laudationem contendit, haec tamen addit: ἐγὼ δ' ἐκείνων ἔπαινον τὸν χρόνον ἡγοῦμαι μέγιστον, οὗ πολλοῦ γεγενη-

μένου μείζω τῶν ὑπ' ἐκείνων πραχθέντων οὐδένες ἄλλοι παραδείξασθαι δεδύνηνται [1]). Praeterea Isocrates decem circiter annis ante ortum bellum Peloponnesiacum natus erat; ejus pater autem illo bello omnes amiserat facultates. Quocirca non casu accidisse videtur, ut Pericleam aetatem tamquam terminos quosdam constitueret, quos citra quaecumque dicta, acta cogitataque essent, probaret et ab obtrectatorum calumniis defenderet, quae postero tempore ad suam usque aetatem evenissent, improbaret nec quicquam fere in his inveniret boni tam multis quae pessima essent admixtum. Denique hominem otiosum quietisque amantem, scholae in umbra, a reipublicae luce et vitae veritate remotum, aevum degentem, juvabat, opinor, a praesentium contemplatione temporum mentem sevocare; informare homines, tempora, πολίτειαν, quales numquam fuissent; se autem fingere in optima civitate optima voce praeditum, amotis a republica quam informarat concionum turbis, quae nunc quidem obstabant quominus ipse verba ad populum faceret, ad tranquillitatem et ad moderationem illam, quae non inferendo magis quam propulsando cernitur injuriam, omnia componentem, denique in tali viventem civitate, ubi res et homines ex optimi magistri praeceptis proque suo ipsius ingenio essent conformati. Quae autem ita mente adumbraverat, ea olim revera fuisse sibi persuadebat. Profecto „pictoribus atque poëtis quidlibet audendi semper fuit aequa facultas"; veruntamen aliud est optimam aliquam civitatis formam animo effingere fictaque

---

1) Or. XIV. 1.

literis mandare et tanquam calamo in charta novum aedificium exstruere, aliud, hominibus qui nunc sunt persuadere velle ut, ruinosis aedibus suis relictis, in pulchrum illud aedificium, vel potius speciem aedificii, immigrent. Putant viri docti ab Isocrate exagitari Platonem, quum in Philippo Panegyricas orationes nulli usui esse dicat, addat autem haec: *Ὁμοίως οἱ τοιοῦτοι τῶν λόγων ἄκυροι τυγχάνουσιν ὄντες τοῖς νόμοις καὶ ταῖς πολιτείαις ταῖς ὑπὸ τῶν σοφιστῶν γεγραμμέναις*[1]). Utrum ad Platonis an ad aliorum irrisionem haec pertineant, nunc quidem non quaerimus; illud vero ostendere conabimur, Isocratem non aliud fecisse quam *πολιτειῶν* scriptores, quos frustra insumere operam affirmat.

Superest ejus oratio quae Areopagiticus inscribitur, in qua rectissime Graecus homo *τὴν πολιτείαν* cum animo comparat[2]). Haec, inquit, animi est instar, *τοσαύτην ἔχουσα δύναμιν ὅσην περ ἐν σώματι φρόνησις. αὕτη γάρ ἐστιν ἡ βουλευομένη περὶ ἁπάντων, καὶ τὰ μὲν ἀγαθὰ διαφυλάττουσα, τὰς δὲ συμφορὰς διαφεύγουσα. ταύτῃ καὶ τοὺς νόμους καὶ τοὺς ῥήτορας καὶ τοὺς ἰδιώτας ἀναγκαῖόν ἐστιν ὁμοιοῦσθαι καὶ πράττειν οὕτως ἑκάστους οἵαν περ ἂν ταύτην ἔχωσιν.* Itaque admodum dolendum est, inquit, quod nostra *πολιτεία* corrupta sit ac depravata (*διεφθαρμένη*)[3]).

Jam vero aegrotanti reipublicae medicina est adhibenda. Egregie, modo ne *ἄκυρος* sit medendi conatus. Ebriosum si ad sobrietatem reducere volueris, prudenti

---

1) V. 12.

2) Cf. Aristot. Pol. IV. 11, 3. **ἡ γὰρ πολιτεία βίος τίς ἐστι πόλεως.**

3) VII. 14.

erit opus consilio, ne invitum facere jubeas, quae ab ejus moribus et inveterata consuetudine prorsus abhorreant. Ni sensim paullatimque ruinosam demoliaris domum, verendum est ne derepente collabatur et quidquid obstet ruina sua obruat. Est autem, Isocratem si audias, tota civitas quasi ebriosa, siquidem *ἀκολασία* [1]) ebriositati simillimus est morbus; ruinosa cum domo apte conferri potest *πολιτεία* illa, quam penitus *διεφθαρμένην* esse rhetor existimat. Hic vero non amat ambages. Ad sobrietatem reducet ebriosos, ea scilicet ratione, ut ebriosis ad imitandum proponat illorum mores et beatitudinem, qui numquam se temulentiae dederint. Domus sitne repente collapsura atque ipsum fortasse obruitura, ni in demoliendo prudenter cauteque versetur, nihil refert philosophi, quem age ipsum audiamus loquentem. *Εὑρίσκω γὰρ*, inquit, *ταύτην μόνην ἂν γενομένην καὶ τῶν μελλόντων κινδύνων ἀποτροπὴν καὶ τῶν παρόντων κακῶν ἀπαλλαγήν, ἢν ἐθελήσωμεν ἐκείνην τὴν δημοκρατίαν ἀναλαβεῖν, ἣν Σόλων μέν, ὁ δημοτικώτατος γενόμενος, ἐνομοθέτησε, Κλεισθένης δ', ὁ τοὺς τυράννους ἐκβαλὼν καὶ τὸν δῆμον καταγαγών, πάλιν ἐξ ἀρχῆς κατέστησεν. ἧς οὐκ ἂν εὕροιμεν οὔτε δημοτικωτέραν οὔτε τῇ πόλει μᾶλλον συμφέρουσαν* [2]).

Rem ita se habere, demonstratur instituenda temporum praeteritorum cum his quae nunc sunt comparatione; majorum beatitudini opponuntur hujus aetatis hominum calamitates et miseriae; omnia autem huc redeunt, ut majorum *πολιτεία* esset *σωφροσύνης*, contra qua posteri

---

1) VII. 3, 4.
2) VII. 16.

utuntur, ἀκολασίας sit causa [1]). „Nam illa ad optimates (τοὺς βελτίστους καὶ τοὺς ἱκανωτάτους) honores deferebat et magistratus; haec nullo discrimine facto ad unumquemlibet. Neque vero inviti majores optimatibus permittebant rempublicam. Illi enim ἐργάζεσθαι didicerant καὶ φείδεσθαι; nunc vero sua negligunt negotia cives, aliorum insidiantur bonis, rempublicam quaestui habent. Itaque difficilius erat ἐν ἐκείνοις τοῖς χρόνοις εὑρεῖν τοὺς βουλομένους ἄρχειν ἢ νῦν τοὺς μηδὲν δεομένους. Postremo ὁ δῆμος erat quasi tyrannus, qui magistratus constitueret, puniret delinquentes, de controversiis judicaret; qui otio abundarent et unde viverent haberent, tanquam famuli δήμου res curabant: καίτοι πῶς ἂν τις εὕροι ταύτης βεβαιοτέραν ἢ δικαιοτέραν δημοκρατίαν τῆς τοὺς μὲν δυνατωτάτους ἐπὶ τὰς πράξεις καθιστάσης, αὐτῶν δὲ τούτων τὸν δῆμον κύριον ποιούσης; [2])

Erat autem in privatis negotiis non minor majorum σωφροσύνη quam in publicis: ἀνάγκη γὰρ τοῖς περὶ ὅλων τῶν πραγμάτων καλῶς τὰς ὑποθέσεις πεποιημένοις καὶ τὰ μέρη τὸν αὐτὸν τρόπον ἔχειν ἐκείνοις. Pauperes divitibus atque optimatibus permittebant rempublicam, nec invidebant iis qui plura possidebant; divites vero ceterorum inopiam sibi dedecori esse existimabant: quare omnem dabant operam ut egenis civibus subvenirent. Κεφάλαιον δὲ τοῦ καλῶς ἀλλήλοις ὁμιλεῖν· αἱ μὲν γὰρ κτήσεις ἀσφαλεῖς ἦσαν, οἷσπερ κατὰ τὸ δίκαιον ὑπῆρχον, αἱ δὲ χρήσεις κοιναὶ πᾶσι τοῖς δεομένοις τῶν πολιτῶν [3]).

---

1) VII. 20.
2) VII. 20—27.
3) VII. 31—36.

Tanta et tam multa beneficia Solonis et Clisthenis *πολιτεία*, i. e. *ἡ σωφροσύνη*, in Athenienses contulit. Tanti autem *σωφροσύνην* illam majores faciebant, ut ad reliqua instituta illud longe pulcherrimum adjungerent, senatum, dico, Areopagiticum. *Οὕτω γὰρ ἡμῶν οἱ πρόγονοι σφόδρα περὶ τὴν σωφροσύνην ἐσπούδαζον, ὥστε τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν ἐπέστησαν ἐπιμελεῖσθαι τῆς εὐκοσμίας, ἧς οὐχ οἷόν τ' ἦν μετασχεῖν πλὴν τοῖς καλῶς γεγονόσι καὶ πολλὴν ἀρετὴν ἐν τῷ βίῳ καὶ σωφροσύνην ἐνδεδειγμένοις* [1]). Viros juvenesque meliores haec reddebat et *σωφρονεστέρους*, non legibus in porticibus insculptis, sed justi sensum et decori in animis inscribendo [2]). Existimabant enim Areopagitici, *τοὺς πολλοὺς ὁμοίους τοῖς ἤθεσιν ἀποβαίνειν, ἐν οἷς ἂν ἕκαστοι παιδευθῶσιν.* Itaque *οὐ τοῦτο πρῶτον ἐσκόπουν, δι' ὧν κολάσουσι τοὺς ἀκοσμοῦντας, ἀλλ' ἐξ ὧν παρασκευάσουσι μηδὲν αὐτοὺς ἄξιον ζημίας ἐξαμαρτάνειν.* Maximam puerorum educationis curam habebant; tenuiores ad agriculturam et negotiationes destinabant, quippe qui omnium vitiorum fontem inopiam esse probe novissent; divites vero in equitando et venando, in gymnasiis et philosophorum scholis tempus consumere cogebant, *ὁρῶντες ἐκ τούτων τοὺς μὲν διαφέροντας γιγνομένους, τοὺς δὲ τῶν πλείστων κακῶν ἀπεχομένους* [3]). Denique *τοὺς ἀκοσμοῦντας ἀνῆγον εἰς τὴν βουλήν· ἡ δὲ τοὺς μὲν ἐνουθέτει, τοῖς δ' ἠπείλει, τοὺς δ' ὡς προσῆκεν ἐκόλαζεν.* Duplici igitur modo cives in officio retinebat, *ταῖς τιμωρίαις καὶ ταῖς ἐπιμελείαις.* Uber-

---

1) VII. 37.
2) VII. 41.
3) VII. 42—46.

rimos autem ferebat fructus laeta illa seges, cui tantum curae Areopagitae impendebant. Juvenes enim virique erant modesti, *οὐ δικῶν οὐδ' ἐγκλημάτων οὐδ' εἰσφορῶν οὐδὲ πενίας οὐδὲ πολέμων ἡ πόλις ἔγεμεν, ἀλλὰ καὶ πρὸς ἀλλήλους ἡσυχίαν εἶχον καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους εἰρήνην ἦγον.* Metuebant eos barbari, colebant Graeci; ipsi autem *σωφρόνως*, otiose et tranquille vitam degebant erantque omnium beatissimi. *Καίτοι πῶς ἂν γένοιτο ταύτης πλείονος ἀξία πολιτεία τῆς οὕτω καλῶς ἁπάντων τῶν πραγμάτων ἐπιμεληθείσης;* [1])

Videtur Isocrates, quum ad hanc usque sententiam in scribendo processisset, in consilium adhibuisse familiares suos iisque *δεῖξαι τὸν λόγον.* Qui quum judicium essent rogati, laudarunt illi quidem quae scripserat, sed tamen laudationi reprehensionis aliquantum admiscuerunt. Primum enim vereri se dicebant, ne frustra in scribendo operam insumsisset: *οὐ μὴν*, inquit, *ὑμᾶς γ' ᾤοντο πεισθήσεσθαι χρῆσθαι τούτοις, ἀλλ' αἱρήσεσθαι διὰ τὴν συνήθειαν ἐν τοῖς καθεστῶσι πράγμασι κακοπαθεῖν μᾶλλον ἢ μετὰ πολιτείας ἀκριβεστέρας ἄμεινον τὸν βίον διάγειν* [2]). Ista vero opinio Isocrati tam stulta et ridicula visa est, ut eam ne verbo quidem, in ipsa certe oratione, refellerit. Praeterea familiares illi, molesti sane homines, *εἶναι (δ') ἔφασαν ἐμοὶ καὶ κίνδυνον, μὴ τὰ βέλτιστα συμβουλεύων μισόδημος εἶναι δόξω καὶ τὴν πόλιν ζητεῖν εἰς ὀλιγαρχίαν ἐμβαλεῖν* [3]). Et sane revera metuendum esse, ne oratio sua talem praebitura

---

1) VII. 46—56.
2) VII. 57.
3) VII. 58.

esset suspicionem, ipse sensit rhetor; itaque reliquam orationis partem, excepta brevi quae in fine posita est adhortatione, eo consilio scripsit ut nec *μισόδημον* se esse neque oligarchiae instituendae cupidum probaret. „Equidem, inquit, tantum absum ut novis rebus studeam, ut in pristinum statum rempublicam cupiam restituere. Praeterea paucorum me dominatui populare praeferre imperium pleraeque orationes meae declarant, in quibus *φανήσομαι ταῖς μὲν ὀλιγαρχίαις καὶ ταῖς πλεονεξίαις ἐπιτιμῶν, τὰς δ' ἰσότητας καὶ τὰς δημοκρατίας ἐπαινῶν, οὐ πάσας, ἀλλὰ τὰς καλῶς καθεστηκυίας, οὐδ' ὡς ἔτυχον, ἀλλὰ δικαίως καὶ λόγον ἐχόντως* [1]). Etenim probe scio, et majores nostros, homines *δημοτικωτάτους*, longe ceteris praestitisse, et Lacedaemonios propter hoc ipsum optime gerere rempublicam, quod omnium maxime populari imperio utantur. In omnibus enim publicis privatisque negotiis *ἰσότητες* et *ὁμοιότητες* apud illos magis quam apud alios vigent [2]). Quin haec, qua nunc utimur, *πολιτεία*, quamvis mala sit et ab omnibus reprehendatur, tamen paucorum potestati tantum praestare mihi videtur, ut, si duo mala inter se comparentur, hujus popularis imperii status cum triginta tyrannorum dominatu, *θεοποίητον* illud appellare non dubitem [3]). Verum aliud est pessimis atque insanis praestare hominibus, aliud praeclare gerere rempublicam et virtute aequare majores: *πρὸς γὰρ τὴν ἐκείνων ἀρετήν, ἀλλ' οὐ πρὸς τὴν τῶν τριά-*

---

1) VII. 60.
2) VII. 61.
3) VII. 62—71.

κοντα πονηρίαν ἁμιλλητέον ἡμῖν ἐστίν, ἄλλως τε καὶ προσῆκον ἡμῖν βελτίστοις ἁπάντων ἀνθρώπων εἶναι [1]). Athenienses enim ingenii bonitate longe omnibus praestant; quo magis reprehendendi sunt, qui, omnium optimi quum esse possent, satis habeant si tantum non omnium pessimi sint et turpissimi" [2]).

Sequitur brevis adhortatio et peroratio, qua ad ea, *περὶ ὧν ἐξ ἀρχῆς τὸν λόγον κατεστήσατο* [3]), fit reditus. „Datur, inquit, eligendi optio. Si rempublicam in posterum aeque male gesturi sumus atque nunc gerimus, fieri non potest, quin aeque miseri futuri simus atque nunc sumus, eademque facturi simus et passuri quae nunc miseros nos reddunt; *ἢν δὲ μεταβάλωμεν τὴν πολιτείαν, δῆλον ὅτι κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον οἷά περ ἦν τοῖς προγόνοις τὰ πράγματα, τοιαῦτ' ἔσται καὶ περὶ ἡμᾶς· ἀνάγκη γὰρ ἐκ τῶν αὐτῶν πολιτευμάτων καὶ τὰς πράξεις ὁμοίας ἀεὶ καὶ παραπλησίας ἀποβαίνειν* [4]). Itaque Graeci, qui nunc odio nos habent, in amicitiam et fidem nostram se tradent; metuent nos, quibus nunc contemtui sumus, barbari, nec Graecorum se immiscere negotiis audebunt. Fortissimi erimus, qui nunc sumus imbelles; hostes male habebimus, qui nunc civibus assidue injurias inferimus; nemo civis inopia laborabit rei familiaris, nec stipe ab obviis roganda probro rempublicam afficiet. Quae quum ita sint, et nobismet ipsis et omnibus Graecis subveniendum, majores imitandos censeo".

---

1) VII. 73.
2) VII. 74 sqq.
3) VII. 77.
4) VII. 78.

Consulto tam multa ex Areopagitico excerpsi, ut, rhetoris artificia si excipias, paene integram Isocratis orationem retulerim. Quamvis enim diversa sint ejus orationum argumenta, at eadem cogitata, idem corrigendi castigandique studium in omnibus deprehenduntur, ut Areopagiticum qui legerit, is quales Isocratis, si ad rempublicam accessisset, partes futurae fuissent, compertum habeat. Qua vivebat aetate, ea sane erat rerum temporumque conditio, ut mirum non sit, hominem *τὴν ἡσυχίαν ἀγαπῶντα καὶ τὴν ἀπραγμοσύνην* de republica desperasse. Athenas omnium pulcherrimam esse urbem, Athenienses tanto ceteris praestare Graecis, quanto hi barbaris praestarent, rhetori erat persuasum. Quo vehementius dolebat, quod potentissimi qui olim fuissent et principatum inter Graecos obtinuissent, bello Peloponnesiaco de gradu essent dejecti. Praetera pro pace et concordia, quibus potiora non noverat, maximam discordiam Graecorum occupasse animos eosque bella ex bellis serere videbat. Nec domi melior erat quam foris rerum conditio. Plebis, quam odio habebat, licentia in omnia invaserat; tantum aberat ut divites nobilesque cives principem in republica tenerent locum, ut assidue iis negotia facessere auderent sycophantae [1]). Denique varium esse et inconstantem plebis animum, ad subita capienda consilia, quorum mox poeniteret, proclivem, quae decreta essent propter ignaviam perficere fastidientem, et Demosthenes et Isocrates et alii, etiam minus prudentes, querebantur. Jam vero persuasum erat Isocrati de virtutis utilitate: *οὔτε πρὸς*

---

1) XV. 312 sqq.

χρηματισμόν, inquit, οὔτε πρὸς δόξαν οὔτε πρὸς ἃ δεῖ πράττειν οὐδ' ὅλως πρὸς εὐδαιμονίαν οὐδὲν ἂν συμβάλοιτο τηλικαύτην δύναμιν, ὅσην περ ἀρετὴ καὶ τὰ μέρη ταύτης. τοῖς γὰρ ἀγαθοῖς οἷς ἔχομεν ἐν τῇ ψυχῇ, τούτοις κτώμεθα καὶ τὰς ἄλλας ὠφελείας ὧν δεόμενοι τυγχάνομεν· ὥσθ' οἱ τῆς αὑτῶν διανοίας ἀμελοῦντες λελήθασι σφᾶς αὐτοὺς ἅμα τοῦ τε φρονεῖν ἄμεινον καὶ τοῦ πράττειν βέλτιον ὀλιγωροῦντες [1]). Quum ἀκολασία quasi fons esset, unde omnes emanarent calamitates, ad σωφροσύνης studium convertendos esse hominum animos, in illa virtute omnem salutis et beatitudinis spem esse positam existimabat [2]). Quae quum secum reputaret, sponte se offerebat illorum imago temporum, quibus laetiora aut magis prospera ne informari quidem posse videbantur. Beatissimi fuerant majores; cum beatitudine conjunctam esse virtutem docuerat Socrates; sequebatur ergo ut iidem fuissent σωφρονέστατοι, omne genus virtutis coluissent. Quodsi ita se res habebat, persuadendum erat Atheniensibus, ut ad majorum imitationem se componerent. Jam si quis quaerat, quid rhetor intelligat majorum imitatione, interroganti respondet: ἔστι γὰρ ψυχὴ πόλεως οὐδὲν ἕτερον ἢ πολιτεία, τοσαύτην ἔχουσα δύναμιν ὅσην περ ἐν σώματι φρόνησις· ταύτῃ καὶ τοὺς νόμους καὶ τοὺς ῥήτορας καὶ τοὺς ἰδιώτας ἀναγκαῖόν ἐστιν ὁμοιοῦσθαι καὶ πράττειν οὕτως ἑκάστους οἵαν περ ἂν ταύτην ἔχωσιν [3]). Revertendum itaque censet ad majorum πολιτείαν, quippe quae officina sit σωφροσύνης et,

---

1) VIII. 32.
2) VII. 4 sqq.
3) VII. 14.

quae cum hac conjuncta est, summae beatitudinis. Tum senatui Areopagitico pristina reconcilianda est auctoritas; abroganda aequalitas haec, quae nunc in republica obtinet; altera illa, quae *σώφρονας* reddidit majores eosdemque beatissimos, restituenda. Praeterea majores nostri non affectarunt maritimum imperium; affectarunt id posteri, quippe qui non intelligerent, ad beatam vitam et ad opes unam sufficere virtutem [1]. Verum quod illi peccarunt nobls corrigendi datur potestas: *ἐγὼ γὰρ ἡγοῦμαι καὶ τὴν πόλιν ἡμᾶς ἄμεινον οἰκήσειν καὶ βελτίους αὐτοὺς ἔσεσθαι καὶ πρὸς ἁπάσας τὰς πράξεις ἐπιδώσειν, ἢν παυσώμεθα τῆς ἀρχῆς τῆς κατὰ θάλατταν ἐπιθυμοῦντες. αὕτη γάρ ἐστιν ἡ καὶ νῦν εἰς ταραχὴν ἡμᾶς καθιστᾶσα καὶ τὴν δημοκρατίαν ἐκείνην καταλύσασα, μεθ' ἧς οἱ πρόγονοι ζῶντες εὐδαιμονέστατοι τῶν Ἑλλήνων ἦσαν, καὶ σχεδὸν ἁπάντων αἰτία τῶν κακῶν ὧν αὐτοί τ' ἔχομεν καὶ τοῖς ἄλλοις παρέχομεν* [2]. Nam postquam maritimum affectare coepimus imperium, exorta est et vires cepit *ἀκολασία*, i. e. dominandi libido; *ἀκολασία* autem et *ὕβρις* sunt *αἰτία τῶν κακῶν* [3]. Sublata causa effectus erit sublatus; ergo si maritimum affectare imperium desierimus, fieri non poterit quin nos convertamus omnes ad *σωφροσύνην*, quae est *τῶν ἀγαθῶν αἰτία*, colendam. Pristina restituetur aequalitas, amicorum in locum socii habebuntur, non dominari in Graecos, sed de Graecis bene mereri studebunt *σώφρονες* Athenienses; denique non aliam ob causam bellum parabimus nisi

---

1) VIII. 31 sqq.

2) VIII. 64.

3) VIII. 119.

pacem ut servemus. Quo si res erit perducta, *οὐ μόνον εὐδαίμονα ποιήσετε ταύτην τὴν πόλιν, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας ἅπαντας*. Cunctis enim Graecis de justitia nostra et benevolentia ita persuasum erit, ut nulla civitas alteri bellum inferre sit ausura; sin ausa erit, ad nos omnes, quicunque opprimentur, confugient; neque solum principatum ad nos deferent, sed totos se nobis tradent [1]). Quid multa? Qui, pristina senatui Areopagitico reconciliata auctoritate, beatissimi erunt, iidem, maritimo abrogato imperio, non tantum erunt beatissimi, sed potentissimi etiam omnium Graecorum. Quodsi cui mirum hoc videatur, quod Isocrates duas esse vias, quarum utraque ad summam perveniri possit beatitudinem, existimet, is ne obliviscatur rhetorem se audire singula quaeque, prouti orationis consilium et libido ferat, amplificantem et exaggerantem; ad id vero accedit quod et Areopagiticae orationi et ei quam de Pace scripsit eadem subest adhortatio: in utraque enim, quamvis diversa sint quae impertit consilia, hoc agit ut ostendat, redeundum esse ad *σωφροσύνην* et ad *πολιτείαν*, i. e. ad beatitudinem majorum.

Negari non potest, quin Isocrates multitudinis mores et ingenium, quale esse solet ubicumque populare vigeat imperium, optime habuerit perspectum; neque stultitiae damnandus mihi quidem videtur, quod *σωφροσύνην* utilem esse virtutem existimaret. Rem ita se habere docuerat Socrates; ostendit ejus discipulus, magistri se praecepta ex memoria non deposuisse. Idem vero suo comprobavit exemplo, alias esse philosophi, alias

1) VIII. 133 sqq.

viri politici partes. Philosophus de virtutis utilitate disserit et aliis persuadere conatur; vir politicus, etiamsi de virtutis utilitate ei cum philosopho conveniat, tamen ad tempora, ad homines eorumque mores consilia sua accommodat, civitatis prospicit saluti et commodis, id agit ut cives suos, tantum quantum fieri potest, beatos reddat et potentes. Quodsi aliquanto beatiores et potentiores, quam antea fuissent, reddere eos potuerit, locum qui est de *summa* beatitudine et totum illud homines transformandi commentum libenter iis relinquet, qui in umbra extra vitae veritatem degunt, i. e. philosophis. Verum Isocrates utriusque, philosophi, dico, et politici viri, administrare conatus est provinciam. Instruxit virtutis quasi aliquam officinam, unde nonnisi probi ac paene perfecti, i. e. beatissimi homines essent produturi. Rei novitate commoti consistunt viatores, inspiciendi causa introeunt, pulcrum admirantur aedificium, artificiose clamant instructum esse, splendidissime ornatum; ceterum qui introierunt, mox exeunt omnes, nec ullus est, qui huic fabro ferrario cudendum se et transformandum tradat.

Isocrates quae bona et optabilia ipsi videbantur suadebat; quid fieri posset, numquam quaesivisse videtur. Etsi quales essent homines haud ignorabat, tamen quotiescumque, quid facturus aliquis esset, conjecturam faceret, semper eum fallebat opinio. Veluti Philippi, regis Macedoniae, crescere in diem opes videbat: qui etsi consilia sua satis callide dissimulabat, hoc tamen erat manifestum, eum quaecumque posset sibi adsciscere imperiumque assidue vi et armis augere.

Quo tempore Philippus jam captam tenebat Amphipolin [1]), pacem componendam censet Isocrates „non tantum cum Chiis, Rhodiis, Byzantinis, sed cum omnibus omnino hominibus" [2]): ita agendo, dicit, *συμμάχους ἕξομεν ἅπαντας ἀνθρώπους, οὐ βεβιασμένους, ἀλλὰ πεπεισμένους*: praeterea quae nunc bello et magnis impensis recuperare non possumus, ea per legatos facile recipiemus: *μὴ γὰρ οἴεσθε μήτε Κερσοβλέπτην ὑπὲρ Χεῤῥονήσου μήτε Φίλιππον ὑπὲρ Ἀμφιπόλεως πολεμήσειν, ὅταν ἴδωσιν ἡμᾶς μηδενὸς τῶν ἀλλοτρίων ἐφιεμένους. νῦν μὲν γὰρ εἰκότως φοβοῦνται γείτονα ποιήσασθαι τὴν πόλιν ταῖς αὑτῶν δυναστείαις· ὁρῶσι γὰρ ἡμᾶς οὐ στέργοντας ἐφ' οἷς ἂν ἔχωμεν, ἀλλ' ἀεὶ τοῦ πλείονος ὀρεγομένους· ἢν δὲ μεταβαλώμεθα τὸν τρόπον καὶ δόξαν βελτίω λάβωμεν, οὐ μόνον ἀποστήσονται τῆς ἡμετέρας, ἀλλὰ καὶ τῆς αὑτῶν προσδώσουσι· λυσιτελήσει γὰρ αὐτοῖς θεραπεύουσι τὴν δύναμιν τὴν τῆς πόλεως ἀσφαλῶς ἔχειν τὰς αὑτῶν βασιλείας* [3]). — Philippum, ut regnum suum contra Athenienses muniat, bellum gerere, satis recte judicavit Isocrates; ceterum non eum esse Macedonem, qui satis habeat ab hostium parum timendorum incursionibus et injuriis se defendere, imperii propagare fines non curet, hoc, quod tamen satis erat manifestum, rhetorem fugit quietis et pacis amantem.

---

1) De tempore quo oratio VIII ab Isocrate scripta sit, non constat. Scriptam esse post captam a Philippo Amphipolin hinc apparet, quod Athenienses capta demum urbe Philippo bellum intulerunt; in Isocratis autem oratione belli, quod Athenienses ob captam Amphipolin cum Philippo gerant, fit mentio (22).

2) VIII. 16.

3) VIII. 21, 22, 23.

Demosthenes, in oratione quam de Pace habuit, sibi vel invito necessitatem suas praedicandi laudes dicit esse impositam. „Ter, inquit, ego solus ex ommnibus bene de futuris conjeci; verum longe abest, ut mea in divinando sagacitate gloriari cupiam; tantum duas causas easque perspicuas, cur recte conjecerim, afferre lubet. Primum enim fortuna in omnibus rebus humanis dominatur; altera autem causa est, quod gratiis judico et res perpendo: *καὶ οὐδὲν λῆμμ' ἂν οὐδεὶς ἔχοι πρὸς οἷς ἐγὼ πεπολίτευμαι καὶ λέγω δεῖξαι προσηρτημένον. ὀρθὸν οὖν ὅ τι ἂν ποτ' ἀπ' αὐτῶν ὑπάρχῃ τῶν πραγμάτων τὸ συμφέρον φαίνεταί μοι· ὅταν δ' ἐπὶ θάτερα ὥσπερ εἰς τρυτάνην ἀργύριον προσενέγκῃς, οἴχεται φέρον καὶ καθείλκυκε τὸν λογισμὸν ἐφ' αὑτό, καὶ οὐκ ἂν ἔτ' ὀρθῶς οὐδ' ὑγιῶς ὁ τοῦτο ποιήσας περὶ οὐδενὸς λογίσαιτο* [1]). — Haec verba, paucis mutatis, egregie in Isocratem quadrant; non enim lucella, sed praejudicatae opiniones e Socratis ductae disciplina, et ipsius animus ad otium quietemque proclivis, quominus recte de hominibus et rebus judicaret, obstabant. Pacem censet cum omnibus componendam. Quod quominus fiat, obstare videtur Philippi alienus ab Atheniensibus animus. Per vim et fraudem Amphipolin iis eripuit. Si ergo Philippus vi et armis aliena sibi arrogare mavult quam otio indulgere, stultus sit qui de pace non desperet, quamvis eam ardenter exoptet. Verum rhetori nihil est arduum, nihil molestum. Qui aliis, *αὐξήσεως* et *μειώσεως* ope usus, persuadere solet, is facile sibi ipsi persuadet, talem ut esse credat Philippum, qualem esse optat.

---

1) V. 11, 12.

Itaque informat eum hominem probum, qui, ut fines suos ab Atheniensium incursionibus tueretur, ad expugnandam Amphipolin esset coactus; otii et pacis amantem, qui non tantum erepta redditurus, verum etiam de suo additurus sit, simulac justitiae amorem hostes incessisse senserit; denique talem fingit Philippum, qualis Macedoniae rex nec tum erat nec umquam fuit.

Bello Amphipolitano paene confecto, Isocrates suum de Philippo judicium mutavit. Hic enim, praeter Amphipolin aliis etiam oppidis Atheniensibus ereptis, satis aperte ostenderat, non id tantum se agere, ut regni sui fines ab Atheniensium incursionibus tueretur. Atque Amphipolis quin propter τὰς προσόδους τὰς ἐκεῖθεν γιγνομένας ab eo expugnata esset, nunc quidem non erat dubium [1]. Quae quum ita essent, ne Isocrates quidem tam occaecato prae pacis amore fuit animo, ut crederet Philippum pace composita Atheniensibus per legatos id petentibus erepta redditurum esse. Attamen pax componenda ei videtur. Itaque ad scribendum se accinxit et ἐπεχείρησε λέγειν περί τε τῆς πόλεως ταύτης (i. e. de Amphipoli) καὶ τῆς χώρας ὃν ὑπελάμβανε τῶν λόγων εἰρηνικώτατον εἶναι [2]. „Ac de ipsis quidem controversiis, ait, in illa oratione nullum verbum feci, sed utriusque reprehendi errorem, quod tu (Philippus) pro nostris bellum gereres commodis, nos autem pro tuo imperio dimicaremus" [3]. Atheniensibus nimirum demonstrare conatus est, Amphipolin, in regni Macedonici

1) V. 5.
2) V. 2, 3.
3) V. 3.

confiniis sitam, non idoneum esse coloniae locum, quippe qui Philippo crebras insidiandi et vexandi afferret occasiones, Athenienses vero cogeret ut amicos se simularent Philippi nec quidquam quod illi displiceret facere auderent; Philippo autem persuadere studuit, Atheniensium amicitiam pluris ei esse faciendam quam reditus Amphipolitanos; praeterea regem edocuit, etiamsi Atheniensibus Amphipolin reddidisset, ipsum tamen revera eam esse retenturum, *καὶ τοσούτους ὁμήρους λήψειν παρ' ἡμῶν τῆς φιλίας, ὅσους περ ἂν ἐποίκους εἰς τὴν σὴν* (Philippi) *δυναστείαν ἀποστείλωμεν.* Itaque eo rem deducere voluisse videtur, ut Philippus scilicet non juri cedens, sed *πλεονεξίᾳ* indulgens, quam contra jus fasque cepisset civitatem, eam nulla hostium vi coactus sponte relinqueret. Quodsi vero impetrare id non posset, tamen pacem componendam censuit. Itaque in eadem oratione Atheniensibus suasit, ut Philippum libere in suas grassari sinerent possessiones: demonstraverat enim Amphipolin non esse idoneum coloniae locum nec multum interesse, utrum ipsi an vero Philippus civitates Macedoniam adjacentes teneret: *τοιούτων δὲ πολλῶν λεγομένων ἤλπισαν ὅσοι περ ἤκουσαν, διαδοθέντος τοῦ λόγου, διαλύσεσθαι τὸν πόλεμον ὑμᾶς καὶ γνωσιμαχήσαντας βουλεύσεσθαί τι κοινὸν ἀγαθὸν περὶ ὑμῶν αὐτῶν* [1]).

Antequam orationem absolvisset Isocrates, pax convenit [2]); Amphipolis et ceterae quas Atheniensibus eripuerat civitates Philippo permissae sunt. Neque

1) V. 4—8.
2) V. 7.

vero est dubium, quin Isocratis consilia et verborum artificia regi non fuissent persuasura, ut Amphipolin Atheniensibus redderet, vel aliquo modo, cum suo detrimento, illis gratificaretur. Atque ipse Isocrates, ni caeco pacis amore et opinione illa, quam de artis suae ad persuadendum omnipotentia habebat, aciem mentis sibi praestringi passus esset, facile sensisset, irrita fore et plane infructuosa quae Philippo impertiturus esset consilia. Hunc enim, a quo tempore regnum occupasset, nihil aliud egisse nisi ut suas opes vi et fallaciis augeret, Atheniensibus vero quaecunque posset eriperet eosque callide deciperet et ludibrio haberet, satis jam erat manifestum. Quam maximi se facere simularat Atheniensium amicitiam, hanc non flocci se aestimare, capta et retenta Amphipoli aliisque Atheniensium oppidis expugnatis aperte ostenderat. Verum Isocrati quae Philippus fecisset reputanti *οὐκ ὀρθὴ φαίνεται* regis imago. Quod cupit, credit libenter. Itaque Philippum informat aliquem *πλεονεκτικόν* illum quidem, sed tamen talem qualis non est, cui persuaderi possit ut laboris sui et astutiae fructum sponte sua Atheniensibus, quorum benevolentia aut amicitia ei non est opus, gratificetur.

Ceterum Isocratem neque iis aequiparare licet qui *λήμμασι* a rege acceptis de industria cives deciperent suos, neque iis qui, de libertate quum actum esse putarent et populari imperio unius praeferrent dominationem, regis crescere in dies potentiam fortasse haud aegre ferebant [1]). Isocrates enim etsi multo serius

1) Cf. Romein, Dissert. inaugur. de Phocione. Lugd. Bat.

quam Demosthenes perspexit, quorsum Philippi tenderent consilia, tamen a quo inde tempore intellexit, quo consilio bella ex bellis sereret et Graecorum se immiscere rebus studeret, non minore cum studio quam ille hoc egit, ut quae Graecis imminerent, averteret pericula. In libro ad Philippum misso, „scio equidem, inquit, calumnias in te jacere invidos quosdam, qui suas ipsorum civitates perturbare solent et qui pacis, quod commune ceterorum est bonum, suasores suis lucellis bellum inferre existimant: qui *περὶ τῆς σῆς δυνάμεως λέγουσιν, ὡς οὐχ ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος ἀλλ' ἐπὶ ταύτην αὐξάνεται, καὶ σὺ πολὺν χρόνον ἤδη πᾶσιν ἡμῖν ἐπιβουλεύεις.* Te enim dictitare quidem, Messeniis te opem laturum, sed revera id agere ut Peloponnesum subjuges —: *ἣν δὲ ταῦτα πράξῃς, (λέγουσιν) ὡς καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ῥαδίως κρατήσεις.* Verum nihil aliud nisi *φλυαροῦσι* qui talia dicunt. Fieri enim nequit, ut Herculis, *ὃς ἁπάσης κατέστη τῆς Ἑλλάδος εὐεργέτης*, posteri, quorum tu unus es, illis insidientur, *ὑπὲρ ὧν ὁ πρόγονος αὐτῶν προείλετο κινδυνεύειν*" [1]).

Quae eo loco leguntur, mirifice discrepant cum iis quae in fine libri sunt posita. *Λοιπὸν οὖν ἐστι*, inquit, *τὰ προειρημένα συναγαγεῖν — ·φημὶ γὰρ χρῆναί σε τοὺς μὲν Ἕλληνας εὐεργετεῖν, Μακεδόνων δὲ βασιλεύειν —· ἢν γὰρ ταῦτα πράττῃς, ἅπαντές σοι χάριν ἕξουσιν* [2]). Ergo beneficiis nondum affecit Graecos Philippus, si quidem Isocrates ei persuadere conatur ut id facere velit, si autem ille quae fecit non eo fecit consilio, ut in Grae-

1) V. 73—77.
2) V. 154.

cos beneficia conferret, nec tamen sine causa et temere Atheniensibus ipsorum possessiones vi et armis eripuit, atque specie auxilii Thebanis ferendi in ipsam Graeciam penetravit, sequitur ut revera οὐχ ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος, ἀλλ' ἐπὶ ταύτην, quaecunque possit sibi asciscere studeat. Ergo nequaquam φλυαροῦσι bellicosi illi ῥήτορες.

Atque rem se ita habere, Philippum esse communem omnium Graecorum hostem, nunc quidem Isocrati cum Demosthene ceterisque, quos φλυαρεῖν dicit, convenit. Verum hoc interest, quod Demosthenes Athenis palam eloquitur sententiam, Isocrati ad Philippum scribenti cautione opus est, ut ne reprehendere videatur quem per laudandi et adulandi speciem dehortari vult, ne amplius Graecis insidietur. Nunc demum magno sunt usui ποικιλίαι et ψευδολογίαι et reliqua oratoris artificia [1]). A blandimentis et illecebris, quae consiliorum et admonitionum vim gravitatemque temperent, incipit oratio. „Pace composita, dicit, εὐθὺς ἐσκοπούμην, πῶς ἂν τὰ πεπραγμένα παραμείνειεν ἡμῖν, καὶ μὴ χρόνον ὀλίγον ἡ πόλις ἡμῶν διαλιποῦσα πάλιν ἑτέρων πολέμων ἐπιθυμήσειεν. Quae quum perpenderem, non quieturos esse Athenienses putavi, nisi maximae civitates, pace inter se composita, bellum in Asiam transferendum, et quas nunc Graeci a Graecis extorquent praedas, eas e barbarorum manubiis sibi petendas decrevissent: ἅπερ ἐν τῷ Πανηγυρικῷ λόγῳ τυγχάνω συμβεβουλευκώς. Sed experientia edoctus nolui iterum componere Panegyricum, qui ἄκυρος esset futurus. Intel-

---

1) XII. 246.

lexi enim oportere me eorum quae proponerem *ποιήσασθαί τινα προστάτην τῶν καὶ λέγειν καὶ πράττειν δυναμένων καὶ δόξαν μεγάλην ἐχόντων, εἴπερ μέλλοιέν τινες προσέξειν αὐτῷ* (i. e. *τῷ λόγῳ*) *τὸν νοῦν.* Itaque te *προστάτην* feci meum: *μέλλω γάρ σοι συμβουλεύειν προστῆναι τῆς τε τῶν Ἑλλήνων ὁμονοίας καὶ τῆς ἐπὶ τοὺς βαρβάρους στρατείας.* Tu enim unus omnium Graecis persuadere, cogere barbaros vales; tibi quaecunque libet, facere licet [1]).

Quam artificiose, quam blande haec dicta sint, unusquisque videt. Suae civitatis saluti consulendum se duxisse dicit, omnem vero salutis spem non in ipsis ponit Atheniensibus, sed in Philippo. Atheniensium, non Philippi, *πλεονεξία* bellorum fuit causa; pacis, concordiae, communis omnium Graecorum beatitudinis Philippum fore auctorem, rhetoris ad Philippum scribentis est spes et opinio.

Jam primum de Graecis inter se reconciliandis agendum. „Non licet tibi Graecorum negligere commoda: nam *"Ἄργος ἐστί σοι πατρίς"* [2]). Alterum hoc est rhetoris artificium. „Argos est patria tua," hoc est, Hercules tuus est proavus: itaque non tantum Graecus es homo, sed ex deo ducis originem. „De Hercule autem Graeci optime meruerunt: sequitur ut gratia illis a te referenda sit" [3]). Hoc loco data opportunitate adulantem rhetorem excipit admonitor officii. „Quae quum ita sint, *ἔδει μὲν μηδέποτέ σοι μηδὲ πρὸς μίαν αὐτῶν* (Graeciae civitatum) *γενέσθαι διαφοράν. ἀλλὰ γὰρ*

---

1) V. 8—17.
2) V. 32.
3) V. 32—35.

ἅπαντες πλείω πεφύκαμεν ἐξαμαρτάνειν ἢ κατορθοῦν. De praeteritis tacere quam loqui praestat. Tu cura ut in posterum divina te dignum ostendas origine et beneficiis in proavum tuum a Graecis collatis" [1]).

Quale Isocratis sit consilium, jam nunc apparet et mox multo apparebit clarius. Philippus erga Graecos peccavit, i. e., male eos habuit, iis insidiatus est: admonendus ergo est, ne iterum committat ut ingrati animi et sceleris manifestum eum habeant Graeci. Mox tecte significat callidus rhetor, vereri se, ne longe diversa agat Philippus. „Si exspectatio te fefellerit, inquit, si Graecos inter se reconciliare non potueris, ἀλλ' οὖν τήν γ' εὔνοιαν κτήσει τὴν παρὰ τῶν Ἑλλήνων, ἣν πολὺ κάλλιόν ἐστι λαβεῖν ἢ πολλὰς πόλεις τῶν Ἑλλήνων κατὰ κράτος ἑλεῖν. τὰ μὲν γὰρ τοιαῦτα τῶν ἔργων φθόνον ἔχει καὶ δυσμένειαν καὶ πολλὰς βλασφημίας, οἷς δ' ἡμεῖς συμβεβουλεύκαμεν οὐδὲν πρόσεστι τούτων [2]).

Quorsum haec tendant, non est quod quaeramus. „Tu, inquit, noli pergere in via quam ingressus es; noli vi atque armis Graecorum expugnare civitates." „Verum longe abest, ut equidem talia te facturum credam. Non cadit ista suspicio in τῶν ἀφ' Ἡρακλέους τινὰ πεφυκότων [3]). Nihil aliud nisi φλυαροῦσι, qui te id agere clamitant, ut Graeciae civitates totamque adeo Graeciam sub tuam redigas potestatem [4]). Quos quum despicere tibi liceat, praestat tamen va-

1) V. 35, 36.
2) V. 68.
3) V. 76.
4) V. 73—76.

lidis argumentis obtrectatores laudis tuae erroris convincere, i. e. τὰ τοιαῦτα πράττειν ἐξ ὧν τοῖς μὲν Ἕλλησιν ἔσει πιστός, τοῖς δὲ βαρβάροις φοβερός [1]).

Te autem ut Graecorum consultum velis saluti et beatitudini, adhortantur et pater tuus et ὁ κτησάμενος τὴν ἀρχήν et ὁ τοῦ γένους ἀρχηγός. Pater enim tuus Graecis fuit amicus; ὁ τὴν ἀρχὴν κτησάμενος [2]) Graecis imperare noluit, quare, Graecia relicta, Macedoniae regnum occupavit: ἠπίστατο γὰρ τοὺς Ἕλληνας οὐκ εἰθισμένους ὑπομένειν τὰς μοναρχίας· τοὺς (μὲν) γὰρ ἐν τοῖς Ἕλλησι τοιοῦτόν τι διαπεπραγμένους εὕροιμεν ἂν οὐ μόνον αὐτοὺς διεφθαρμένους, ἀλλὰ καὶ τὸ γένος αὐτῶν ἐξ ἀνθρώπων ἠφανισμένον. Denique Hercules, ὁ τοῦ γένους ἀρχηγός, eadem fecit quae ego tibi ut facias auctor sum: „Graecos inter se reconciliavit, barbaris intulit bellum, Herculis quae vocantur columnae, eas tamquam ὅρους τῆς Ἑλλήνων χώρας constituit" [3]).

Quo plura scribit senex, eo manifestius quantopere a Philippo metuat ostendit. Tandem omni sublata simulatione profitetur se διὰ παντὸς τοῦ λόγου πειρᾶσθαι προτρέπειν (Philippum) ἐπί τε τὰς εὐεργεσίας τὰς τῶν Ἑλλήνων καὶ πρᾳότητα καὶ φιλανθρωπίαν. Ne vero haec consilii professio Philippum laedat, prudenter addit: ἐθίζειν σαυτὸν χρὴ καὶ μελετᾶν, ὅπως ἔτι μᾶλλον ἢ νῦν τοιαύτην (np. qualem de diis Olympiis, qui τῶν ἀγαθῶν αἴτιοι sunt mortalibus) ἅπαντες περὶ σοῦ τὴν γνώμην ἕξουσιν [4]).

---

1) V. 79, 80.

2) i. e. Caranus. Vid. Vell. Paterc. I. 6. Justin. VII. 1.

3) V. 105—113.

4) V. 116—119.

Satis demonstratum esse puto quod demonstrandum erat, Isocratem, quo tempore haec scriberet, nec aliter de Philippo judicasse nec minus ab eo metuisse quam Demosthenem. Itaque non est quod miremur, orationis exordium tam vehementer discrepare cum consilii professione in fine posita [1]). Isocrates quippe peritus erat dicendi artifex; exordii autem haec est virtus, ut orationi lectoris vel auditoris conciliet voluntatem. Ceterum accidit nonnumquam, ut de morbi alicujus natura duos inter medicos conveniat, de medendi ratione non item. Dicit Isocrates *φλυαρεῖν* quicunque male de Philippo existiment eumque per speciem auxilii Thebanis et Messeniis ferendi id agere contendant, ut Peloponnesum ac totam adeo Graeciam in suam redigat potestatem. At Philippum communem esse Graecorum hostem iisque semper insidiari, nunc quidem infitiari non potest; quin hoc imprimis consilio librum, quem ad Philippum misit, scripsisse videtur, ut ad lenitatem et benevolentiam Macedoniae regem hortaretur. Tamen *φλυαρεῖν* asseverat eos, quibus reapse assentitur: cur? *ὅτι τὴν εἰρήνην τὴν τοῖς ἄλλοις κοινὴν πόλεμον τοῖς αὑτῶν ἰδίοις εἶναι νομίζουσιν* [2]).

Quinam sunt isti *φλυαροῦντες*? Demosthenem significari ejusque consiliorum socios, qui non tantum belli Philippo inferendi auctores exstitissent, verum etiam ut multo acrius bellum gererent, qualibet data opportunitate impulissent Athenienses, non est quod dubitemus. Quos quam serio *φλυαρεῖν* affirmet Isocrates,

1) V. 9 sqq. 154.
2) V. 73.

hujus cum illis instituta comparatione facile intelligetur. Illi enim, rebus per se consideratis, bello pacem esse potiorem certe haud negassent; sed istiusmodi universi generis quaestiones relinquebant aliis, ipsi suadebant talia, quae et ad tempora et ad homines essent accommodata, i. e. quae fieri possent. Nec bellum πάντων τῶν κακῶν, nec pacem πάντων τῶν ἀγαθῶν αἴτιον esse existimabant; eligendi data optione, quantum utrumque utilitatis esset habiturum perpendebant. Itaque belli faciendi et acriter gerendi exstiterant auctores; pace autem conventa, quamquam Philippum Atheniensibus imposuisse apparebat, tamen ne bellum redintegrarent eos hortati sunt [1]). Neque enim ad suae voluntatis aut sui odii aut praejudicatae opinionis, sed utilitatis ad normam judicium dirigebant suum. Atque iidem Graecorum concordiam et prosperitatem discordiae et miseriis longe esse anteponendas, sententiam rogati, procul dubio concessissent; sed persuasum iis erat, operae pretium se non facturos, si in eorum quae maxime optabilia essent deliberatione tempus consumerent. Desperabant enim, vel potius, ne cogitabant quidem de Graecorum reconciliatione, quippe quos qualibet data opportunitate acres inter se exercere inimicitias et semper exercuisse viderent, nec nisi magno aliquo et communi cunctorum periculo reconciliari inter se posse existimarent. Persarum rex quin κοινὸς ἁπάντων τῶν Ἑλλήνων ἐχθρός esset, non dubitabant, nec tamen bellum ei inferendum censebant: videbant enim οὐδὲ αὐτοὺς τοὺς Ἕλληνας κοινοὺς ἀλλήλοις ὄντας φίλους, ἀλλ'

1) Dem. Or. de Pace.

ἐνίους μᾶλλον ἐκείνῳ πιστεύοντας ἤ τισιν αὑτῶν, quos vel Atheniensium permotos odio vel mercede conductos a rege huic contra Athenienses eorumque socios opem laturos arbitrabantur, nisi *ἐναργές τι γένοιτο καὶ σαφές, ὡς βασιλεὺς αὐτοῖς ἐπιβουλεύει* [1]. Quodsi illos male de Graecis existimasse negari non potest, recte tamen eos judicasse concedendum est: *ὀρθὸν τὸ σύμφερον αὐτοῖς ἐφαίνετο* [2]. At Isocrati fieri non potuit quin *φλυαρεῖν* viderentur. Hic enim, ex Socratis disciplina profectus, *τὸ σύμφερον* in ore habebat ille quidem, sed de utilitatis notione rhetorem inter et *πολιτικοὺς* illos viros magna erat dissensio. Illi enim nil nisi quod fieri posset, utile esse ducebant; Isocrates quod, rebus per se spectatis, utile ipsi videbatur, id quin fieri posset non dubitabat. Illi non idem semper utile habebant: pacis servandae exstiterunt auctores, qui antea cives ad bellum acrius gerendum impulerant; Isocrates, non ulla temporum hominumve habita ratione, quum eligendi optio datur, non quaerit utrum in praesentia sit utilius, sed quod utile sit, id semper utile esse existimat. Alia, inquit, aliis sunt potiora: potior est *σωφροσύνη* quam *ἀκολασία*, pacem agere multo praestat quam bella gerere: *πολλῶν γὰρ κακῶν τῇ φύσει τῇ τῶν ἀνθρώπων ὑπαρχόντων αὐτοὶ πλείω τῶν ἀναγκαίων προσεξευρήκαμεν, πολέμους καὶ στάσεις ἡμῖν αὐτοῖς ἐμποιήσαντες* [3]. Homo scilicet otiosus timidusque quod ipsi maxime placet, id et solum et semper reipublicae

1) Dem. Or. de Symmoriis 3 sqq.

2) Dem. de Pace 12.

3) IV. 167.

prodesse facile sibi persuasit; itaque, quotiescunque datur occasio, pacis vel servandae vel componendae est auctor. Graecorum concordia autem cum per se spectata pulcra res esse ei videtur, tum necessarium pacis firmamentum. Ac quoniam Graecorum πλεονεξία quiescere eos et pacem servare non sinit, nec nisi majoris spe praedae ducti lites inter se componere volent, ut in pueris fieri solet, adhortandos eos existimat, ut id quo tantopere delectentur, quoniam valde iis noceat, de manibus deponant, addita pollicitatione, si hoc fecerint, aliud quiddam, multo pulcrius quod sit et jucundius nec noceat, iis datum iri. „Quin Persarum regi infertis bellum? οὔτε γὰρ εἰρήνην οἷόν τε βεβαίαν ἀγαγεῖν, ἢν μὴ κοινῇ τοῖς βαρβάροις πολεμήσωμεν, οὐθ' ὁμονοῆσαι τοὺς Ἕλληνας, πρὶν ἂν καὶ τὰς ὠφελείας ἐκ τῶν αὐτῶν καὶ τοὺς κινδύνους πρὸς τοὺς αὐτοὺς ποιησώμεθα [1]). Praeterea ut hoc faciamus monent exempla majorum, regis opes afflictae, opportunitas, quam subacta Asia datura erit deducendi colonias, inopibus subveniendi, atque illam non nostrae tantum reipublicae sed totius Graeciae sentinam exhauriendi."

Commodorum utilitatumque domi computata ratione, foras emittuntur rhetoris sententiae defensores ac propugnatores Ἑλληνικοὶ καὶ βασιλικοὶ λόγοι. Fuerit sane ἄκυρος, qui primus in hoc genere fuit, Panegyricus [2]); tamen non desperandum putat pergitque in ea quam iniit via. Quoniam nec Athenienses nec Lacedaemonii bellum regi inferre volunt, ἡγεμονίας honorem contem-

1) IV. 173.
2) V. 12.

nunt, *ἡγεμόνος* partes a rhetore ad reges tyrannosque deferuntur; sed ne istis quidem persuadere potest, ut quod utilissimum et gloriosissimum esse munus iis demonstrat, suscipiant, Graecos inter se reconcilient, sibi et Graecis Persarum expugnent regnum. Postremo, quum jam omnis paene spes evanuit, ultimum alloquitur regem Macedoniae, et in libro ad eum misso vere scribit: *διατετέλεκα πάντα τὸν χρόνον πολεμῶν μὲν τοῖς βαρβάροις, κατηγορῶν δὲ τῶν μὴ τὴν αὐτὴν ἐμοὶ γνώμην ἐχόντων, προτρέπειν δ' ἐπιχειρῶν οὓς ἂν ἐλπίσω μάλιστα δυνήσεσθαι τοὺς μὲν Ἕλληνας ἀγαθόν τι ποιῆσαι, τοὺς δὲ βαρβάρους ἀφελέσθαι τὴν ὑπάρχουσαν εὐδαιμονίαν* [1])

Haec senex gloriatur Isocrates. „Ceterum poenitet me, inquit, quantum in elaborando Panegyrico operae consumserim, quum aeque *ἄκυροι* sint tales *λόγοι* atque *οἱ νόμοι καὶ αἱ πολιτεῖαι αἱ ὑπὸ τῶν σοφιστῶν γεγραμμέναι* [2]). Quin etiam profitetur, per totum vitae cursum suasisse se quae fieri non possent. „Hic mihi objiciat quis, inquit, *ὡς ἐπιχειρῶ σε πείθειν ἀδυνάτοις ἐπιτίθεσθαι πράγμασιν· οὔτε γὰρ Ἀργείους φίλους ἄν ποτε γενέσθαι Λακεδαιμονίοις οὔτε Λακεδαιμονίους Θηβαίοις οὐδ' ὅλως τοὺς εἰθισμένους ἅπαντα τὸν χρόνον πλεονεκτεῖν οὐδέποτ' ἂν ἰσομοιρῆσαι πρὸς ἀλλήλους. Ἐγὼ δ' ὅτε (μὲν) ἡ πόλις ἡμῶν ἐν τοῖς Ἕλλησιν ἐδυνάστευε καὶ πάλιν ἡ Λακεδαιμονίων, οὐδὲν ἂν ἡγοῦμαι περανθῆναι τούτων· ῥᾳδίως γὰρ ἂν ἑκατέραν ἐμποδὼν γενέσθαι τοῖς πραττομένοις* [3]). Admo-

---

1) V. 130.
2) V. 12.
3) V. 39, 40.

dum sane dolendum est, quod tam sero sensit vana atque irrita consilia sua hanc ob causam fuisse, quod conatus esset πείθειν ἀδυνάτοις ἐπιτίθεσθαι πράγμασιν. Neque enim olim Panegyricum, talem, qualis nunc exstat, absolvisset aut absolutum edidisset, si non tantum quid optabile esset perpendisset, verum etiam quid fieri posset. Quo tempore illam scribebat orationem, multa rhetori esse videbantur quae Graecos ad bellum barbaris inferendum impellerent, μάλιστα δ' ὁ παρὼν καιρός [1]). Quonam tempore Panegyricum scripsit [2])? Credo, postquam lites composuerant Graeci et inter se reconciliati erant. Etenim aliquot ante annis Lacedaemoniorum dolis et machinationibus ceteri fuerant coacti, ut pacem et pacis conditiones parum honorificas a magno rege sibi imponi sinerent. Sperare licebat, Thebanos, Athenienses, ceteros, quos tam egregie decepissent Lacedaemonii, ut omnem belli fructum amisissent, beneficiorum memores, quae in se contulissent adversarii, omnem jam deposuisse simultatem et cum inimicis in gratiam rediisse. At ne ipse quidem Isocrates rem eo jam perductam esse existimat; verum duplex esse orationis suae consilium, alterum ut Graecos inter se reconciliet, alterum ut ad bellum Persis inferendum eos adhortetur, in exordio significat [3]). Opportuno igitur tempore reconciliationis et concordiae exsistet auctor? Ἐναργές τι ἐγένετο? pe-

---

1) IV. 160.

2) Panegyricum anno a. C. 381 vel 380 compositum esse, ex iis apparet quae (126) de Lacedaemoniis memorantur.

3) IV. 15—19.

riculum aliquod cunctis imminet Graecis? Ita prorsus; *ἐναργές τι ἐγένετο.* Occuparunt enim Lacedaemonii Thebarum arcem, Olynthum obsident; quam grave periculum Graecorum immineat libertati, eorum facta declarant: nam *Ἀμύντᾳ τῷ Μακεδόνων βασιλεῖ καὶ Διονυσίῳ τῷ Σικελίας τυράννῳ καὶ τῷ βαρβάρῳ τῷ τῆς Ἀσίας κρατοῦντι συμπράττουσιν, ὅπως ὡς μεγίστην ἀρχὴν ἕξουσιν* [1]. Profecto est cur existimes, talem esse rerum conditionem, ut stultus sit qui de reconciliatione nunc quidem non desperet. Verum tu cave, hanc eloquaris sententiam: neque enim dubium est, quin et Lacedaemonii erepta restituturi ac desituri sint *πλεονεκτεῖν*, et qui ab iis laesi sunt, cum inimicis in gratiam sint redituri, suadente et adhortante Isocrate. Magna enim erit *ἡ τοῦ λόγου δύναμις.* Non nove tantum, sed novis de rebus dicetur [2]. Nam qui in eodem versati sunt argumento ceteri sophistae, a bello inceperunt; dixerunt omni deposita simultate foedus pangendum, Persarum regi bellum inferendum esse: hujus temporis miseriis, belli illius atque concordiae praemiis oratione pingendis audientium inflammare animos conati sunt. Verum non a bello, sed a reconciliatione incipiendum fuerat. Quod quum non intelligerent isti, pulcras quidem composuerunt *ἐπιδείξεις*, sed his nihil aliud consecuti sunt nisi audientium applausus. Eorum corriget errorem Isocrates. Hic enim perspexit, ut reliquae Graeciae civitates ex Atheniensium et Lacedaemoniorum voluntate et nutu pendeant; itaque Graecos

---

1) IV. 126.

2) IV. 8, 15.

nec reconciliari inter se posse existimat nec *κοινῇ τι πράξειν ἀγαθόν*, nisi principes illas civitates adduxerit quis ut velint *ἰσομοιρῆσαι πρὸς ἀλλήλας καὶ τάς θ' ἡγεμονίας διελέσθαι καὶ τὰς πλεονεξίας, ἃς νῦν παρὰ τῶν Ἑλλήνων ἐπιθυμοῦσιν αὐτοῖς γίγνεσθαι, ταύτας παρὰ τῶν βαρβάρων ποιήσασθαι* [1]).

Praeclare haec quidem dicta sunt. Alii fortasse minus sagaces vel confidentes homines, quum de reconciliatione et concordia semper desperarint, tum hoc certe tempore, si quis Graecos reconciliare conetur, *ἀδυνάτῳ ἐπιτίθεσθαι πράγματι* existiment. Verum Isocrati *τῇ τοῦ λόγου δυνάμει* nihil resistere posse videtur: facturum se pollicetur audax rhetor, de quo senes desperant juvenesque, ut non homines duos, sed duas civitates, alteri invidentem alteram atque invisam, totas penitus transformet. „Quid dignum tanto ferat hic promissor hiatu?"

Omnibus orationis adhibitis luminibus et artificiis demonstrat, Athenienses, quippe qui antiquitus Lacedaemoniis longe praestiterint et de Graecis multo melius sint meriti, dignos esse ad quos a ceteris principatus deferatur. Dein, postquam extenuatione et exaggeratione largiter usus Athenienses omnium probissimos esse mortalium demonstravit, Lacedaemoniorum contra peccata et crimina recensuit, Graecorum odium et turpissimam *πλεονεξίαν* iis objecit, opportuno tempore lectorem, quorsum haec tendant non intelligentem, de orationis suae consilio certiorem faciendum ducit. „*Καὶ μηδεὶς ὑπολάβῃ με δυσκόλως ἔχειν, ὅτι τραχύτερον τούτων ἐμνήσθην, προειπὼν ὡς περὶ διαλλαγῶν ποιήσομαι*

---

1) IV. 17.

τοὺς λόγους· οὐ γὰρ ἵνα πρὸς τοὺς ἄλλους διαβάλω τὴν πόλιν τὴν Λακεδαιμονίων, οὕτως εἴρηκα περὶ αὐτῶν, ἀλλ' ἵν' αὐτοὺς ἐκείνους παύσω, καθ' ὅσον ὁ λόγος δύναται, τοιαύτην ἔχοντας τὴν γνώμην" [1]. „Quem enim corrigere velis, hunc castiges, necesse est" [2]; castigatos autem Lacedaemonios sperat Isocrates aut Atheniensibus, quippe se dignioribus, principatum concessuros esse [3]) aut partituros cum illis. Athenienses autem vel dimidio principatus contentos fore [4]), haud nimis male conjectum videtur.

Qui aliorum reprehendit errorem, in multo graviorem ipsum se delapsum esse non videt. Castigandos esse pueros, officii commonendos probos homines, si quando indignum commiserint facinus, id patribus concedendum est et philosophis. Isocrates *πολιτικὸν* se virum profitetur; patris, litigantes pueros ut rixari desinant monentis, suscipit partes; docet, monet, castigat: quosnam scilicet ut corrigat et inter se reconciliet? non pueros, non probos homines officii aliquantisper oblitos, sed duas gentes *πλεονεκτικάς*, alteram alterius aemulam, quarum utraque insana se ferri dominandi libidine semper ostendit; ceterum altera nunc opibus valet, alterius fractae sunt vires et debilitatae. Utrique par est peccandi voluntas, sed impune peccandi facultas in praesentia Lacedaemoniis datur. Hos, non eo quod concordia iis

---

1) IV. 129.
2) IV. 130.
3) IV. 122.
4) IV. 18.

sit quam discordia utilior nec quod communi imminente periculo reconciliationis sibi impositam esse videant necessitatem, sed monitos ut desinant *πλεονεκτεῖν*, quo ipso delectantur, utque cedant dignioribus, quos non secus ac se facturos, si liceat, compertum habent, adduci posse sperat Isocrates ut justitiae, ut memoriae rerum a majoribus gestarum, ut Persarum odio, qui jam nihil est nisi sonus inanis, partam praedam atque Persarum regis amicitiam gratificentur. Vide ergo quam prudentis sagacisque hominis esset hoc dictum: *πολλὰ λίαν εἰσὶ τὰ παρακελευόμενα πολεμεῖν τοῖς βαρβάροις, μάλιστα δ' ὁ παρὼν καιρός* [1]).

Verum haec, qualiacunque tandem sint, mittamus. Vidimus enim Isocratem facti poenituisse, sensisse eum, se olim, quum Graeciae civitates inter se reconciliare conaretur, frustra insumsisse operam [2]). Paucis post editum Panegyricum annis quam omnia sunt mutata! Ad duas illas civitates, quas inter olim de principatu erat contentio, tertia accessit Macedonia. Philippus in tantas brevi tempore crevit opes, ut Athenienses sua ei permittere et pacem componere cogantur, Thebani ejus implorarint auxilium, jamque non tantum Phocensibus, sed Lacedaemoniis atque omnino omnibus, quicumque Graeciam inhabitent, ab eo metuendum esse, bellicosi isti rhetores palam dicere non dubitent [3]). Quos quamquam Isocrates *φλυαρεῖν* sibi videri simulat, tamen re ac

1) IV. 160.
2) V. 39, 40.
3) V. 73 sqq.

veritate iis assentitur [1]). Philippum Graecorum esse hostem, negare non potest, sed eadem quae antea sunt in votis. „Naturam expellas furca, tamen usque recurrit.” Non didicit senex quod ignorabat juvenis, quid sit στέργειν τοῖς παροῦσι. Miserrimi qui essent, eos minus miseros reddi, olim non erat ei satis; perfecti homines, qui nequissimi [2]), beatissimi, qui miserrimi [3]) erant, amici sociique, qui acres inter se exercebant inimicitias, reddendi ei videbantur; ceterum quo modo haec fieri possent, perpendere non solebat. Quo tempore senex ad Philippum scribit, magnum impendere sentit Graecis periculum: quanto potior est securitas et tranquillitas! Philippus Graecorum quae sunt vi sibi arrogat et dolis: quanto praestaret, barbarorum quae sunt Graecis eum largiri! Graeci ipsi graves inter se exercent inimicitias, ἀκόλαστοι sunt et πλεονεκτικοί, miseri denique: quanto pulcrior est σωφροσύνη et ceterarum chorus virtutum, concordia, omnium copia rerum, summa denique beatitudo! Talia dum secum reputat rhetor, nova videt opus esse scriptione. Quid enim? Exiguo constabunt labore tanta illa, quae sibi fingit, tam ardenter exoptata bona. Nam si Philippi ingenium, mores, consilia mutarit et transformarit ἡ τοῦ λόγου δύναμις, „omnia jam fient, fieri quae posse negares:” Graecos ille inter se reconciliabit. Objicit quis: „tu fieri id posse contendis, qui de reconciliatione jam desperare te fateris?” [4]) Respondet:

1) Vid. supra p. 161 sqq.
2) Cf. Or. Areop.
3) Cf. Or. de Pace.
4) V. 41.

Τῶν μὲν ἄλλων ὁμολογῶ μηδέν' ἂν δυνηθῆναι διαλλάξαι τὰς πόλεις ταύτας, σοὶ (Philippo) *δ' οὐδὲν τῶν τοιούτων ἐστὶ χαλεπόν.* — „Recte dicis: Philippo enim, quibus ad reconciliationem invitos cogat Graecos, praesto erunt arma, si frustra monentem vox defecerit." — „Egregie falleris, si Philippo me suadere existimes, ut vi et armis Graecos cogat lites inter se componere et pacem servare. Id enim admodum vereor ne etiam non monitus sit facturus, ut per auxilii ferendi speciem tam sociis suis quam eorum adversariis imponat, omnino omnes redigat in servitutem. Quare prudenti usus consilio et imminens avertere periculum et Graecorum non modo saluti, sed etiam beatitudini consulere studui. Philippum ad lenitatem hortatus sum et mansuetudinem, turpiter facta tecte ei exprobravi; quum id agerem ut illum Graecis reconciliarem, tam honorifice me de eo sentire simulavi, ut omnem Graecos reconciliandi spem in eo positam esse crederem, eumque solum ad tale munus idoneum haberem. Quodsi suasione mea permotus quo praeeo sequetur, utrumque ero consecutus, ut et Graecis insidiari desinat et pacis, concordiae, beatitudinis iis auctor sit. Ille enim (nescio quomodo, sed tali viro nihil est arduum [1]) Graecos poterit inter se reconciliare. Jam vero, quum et Philippus et Graeci sint *πλεονεκτικοί*, nec pax servari queat, nisi utrorumque foras erumpat licentia, ut Asiam praedam sibi facerent utrisque suasi; Persarum regi bellum censui inferendum. Philippus postquam priore illo reconcili-

1) V. 41.

andi munere functus erit, alterum in quod incumbat restabit negotium. Illo ducente Asia in Graecorum redigenda erit ditionem." Cave enim putes Isocratem Philippo suadere, ut sui commodi causa, regni sui ut propaget fines, bellum barbaris inferat. „Nihil istorum, inquit, tibi suaderem, *εἰ δυναστείαν μόνον καὶ πλοῦτον ἑώρων ἐξ αὐτῶν γενησόμενον· ἡγοῦμαι γάρ τά γε τοιαῦτα καὶ νῦν σοι πλείω τῶν ἱκανῶν ὑπάρχειν καὶ πολλὴν ἀπληστίαν ἔχειν, ὅστις προαιρεῖται κινδυνεύειν ὥστ' ἢ ταῦτα λαβεῖν ἢ στερηθῆναι τῆς ψυχῆς* [1]). Philippo, quaecunque faciet, non sibi erunt facienda, sed Graecis. Rerum gestarum fama, gratus Graecorum animus pulcherrima ei erunt virtutis praemia [2]). Urbes in Asia ei erunt condendae, inopum Graecorum coloniae in ea loca deducenda, denique efficiendum erit, ut ad eorum beatitudinem nihil deesse videatur. Etenim ne hac quidem in re senex Isocrates mutatus est ab illo Panegyrici et Areopagitici scriptore, quod quae suadet non aliquanto beatiores quam nunc sunt redditura Graecos opinatur, sed beatissimos, ut nihil quod ad hanc beatitudinem tanquam cumulus accedat, fingi excogitarive possit.

Oritur hic quaestio, quae ceteris praeter Isocratem ad solvendum paulo difficilior videri posset. Philippus enim non est dubium quin usque ad hoc tempus totius Graeciae affectarit imperium, et quos ut imperata facerent facile cogere se posse confideret, eorum amicitiam et societatem neglexerit. Quae quum ita

1) V. 133.

2) V. 134 et aliis locis.

sint, qua ratione Philippum adduci posse arbitratur Isocrates, ut consilia animumque mutet, et qui Graecis infestus semper fuerit, derepente eorum exsistat amicus? Faciet, credo, rhetor, quod in Amphipolitana oratione fecisse se narrat [1]: demonstrabit Philippo, ipsum quid sibi prosit non videre. Atque admodum sane dolendum est, quod librum illum non absolvit; restituta nimirum Atheniensibus fuisset Amphipolis. Nunc vero quasnam proferet causas, cur quae suadet non tantum potiora, sed utiliora etiam Philippo habenda sint quam ea quae ad hoc usque tempus rex secutus est? Philippum enim sua semper commoda spectasse, ipsius facta declarant nec nescit Isocrates. Sed cautus catusque homo facile se e tali expedit difficultate, nec quid faciendum sit haeret λογοδαίδαλος noster. De Philippi commodis aut utilitate nunc quidem silendum ducit; tamen Philippo est persuadendum: itaque aliam quam ingrediatur sibi aperit viam, aliam persuadendi invenit rationem, quae qualis sit, cognoscere est operae pretium.

Herculis se esse progeniem, gloriantur Macedoniae reges. „Tibi, inquit, Argos est patria; de Hercule, i. e., de te Graeciae civitates optime meritae sunt. Tu cura ut dignam pro tot tantisque beneficiis gratiam referas. Hercules quaecumque fecit, Graecis fecit, non sibi. Tu proavi tui praeclara imitare facta. Unum hoc tibi deest ad gloriam sempiternam, ad virtutis famam tantam, quanta majorem consequi nemo possit. Omnem in te salutis spem posui. Praeter te

---

1) V. 5—7.

enim quod tibi suadeo, facere nemo possit, ut Graecos inter se reconciliet, tibi vero ne difficile quidem istud est negotium; *ὁρῶ γάρ σε τῶν τοῖς ἄλλοις ἀνελπίστων δοκούντων εἶναι καὶ παραδόξων πολλὰ διαπεπραγμένον, ὥστ' οὐδὲν ἄτοπον εἰ καὶ ταῦτα μόνος συστῆσαι δυνηθείης* [1]). Rerum enim gestarum magnitudine omnes jamdudum superasti, id quod comparatione instituta possem probare: *ἀλλὰ γὰρ εἱλόμην ἀποσχέσθαι τῆς τοιαύτης ἰδέας δι' ἀμφότερα, διά τε τοὺς οὐκ εὐκαίρως αὐτῇ χρωμένους καὶ διὰ τὸ μὴ βούλεσθαι ταπεινοτέρους ποιεῖν τῶν νῦν ὄντων τοὺς ἡμιθέους εἶναι νομιζομένους* [2].) Sed quantacumque sunt quae perpetrasti, sine Deorum auxilio ea perficere non potuisses. Dis adjuvantibus, heroes non aequasti tantum, sed superasti. Deos autem tibi tam praesentes adfuisse, non est quod miremur; hoc enim consilio inceptis faverunt tuis: *οὐχ ἵνα τοῖς βαρβάροις μόνον τοῖς ἐπὶ τῆς Εὐρώπης κατοικοῦσι πολεμῶν διατελῇς, ἀλλ' ὅπως ἂν ἐν τούτοις γυμνασθεὶς καὶ λαβὼν ἐμπειρίαν καὶ γνωσθεὶς οἷος εἶ, τούτων ἐπιθυμήσῃς ὧν ἐγὼ τυγχάνω συμβεβουλευκώς* [3]). Quocirca quam ego atque Di tibi monstrant viam, fortiter ingredere."

De Isocratis Panegyrico et Philippo habemus celeberrimorum virorum, Niebuhrii et Grotei, judicia. Alter de Panegyrico haec scribit: „Der Panegyricus ist eine Huldigung für Athen, die ihren ganzen Werth verliert, wenn man sich erinnert dass er dreiszig (legendum procul dubio est: *zehn*) Jahre daran gearbeitet

1) V. 41.
2) V. 143.
3) V. 142.

hat" [1]). Alterius de Isocratis Philippo haec sunt verba: „Isokrates relies upon his skilful pen to dispose the new chief to a good use of imperial power — to make him protector of Greece and conqueror of Asia. If copious and elegant flattery could work such a miracle, Isokrates might hope for success" [2]). Egregie uterque [3]), sed vereor ne ad omnes ejus πολιτικοὺς λόγους haec judicia pertineant. Nullius enim pretii non tantum Panegyricus, sed ceterae etiam quae in hoc genere exstant ejus orationes videbantur necesse est, si reputemus, non solum quantum in iis conscribendis temporis insumserit, sed etiam quam strenue per totam vitam rhetor, qui se politicum simulabat virum, operam dederit, ut res hominesque non paullatim commutaret, sed penitus transformaret διὰ ῥώμην λόγου, per ἀντιθέσεις et παρισώσεις, τὰ μουσεῖα τῶν λόγων. Fieri enim non poterat quin ἄκυρα prorsus essent monita et consilia, quae talis homo, tam humanae naturae quam rerum et temporum imperitus, chartae mandaret: quod autem nihil quicquam boni efficere valet, id inutile prorsus nec ullius pretii habendum est. Dein, quod alter Isocratem in Philippo fecisse statuit, ut adulatione, sive elegans illa et copiosa sive turpis et Graeco homine prorsus indigna dicenda sit,

1) Vortr. ü. a. G. p. 300.

2) Hist. of Graece XI. p. 437 editionis Neo-Eboracensis.

3) Ceterum in hoc Niebuhr. mihi falli videtur quod, Dionysio Hal. assentiens, non aliud Panegyrici consilium fuisse statuit nisi ut Athenae et Athenienses oratione celebrarentur; qua de re quum supra viderimus, nunc tacere praestat.

perducere quo volebat conaretur Philippum, hominem callidissimum, cui nec prudentia quid sibi prodesset intelligendi, nec vires deerant aut voluntas ad ea quae sibi proposuisset, perficienda, hoc igitur, quod in Philippo Isocrates fecisse Groteo videtur, semper fecit, ut, nulla ejus quod fieri posset ratione habita, quae optaret suaderet, ut parvis argumentis magnas profligaret quaestiones, denique ut quales essent homines, quibus de aliqua re persuadere studeret, ne curaret quidem.

Supra vidimus, Platonem in Gorgiae parte illa, qua cum hoc sophista sermocinantem facit Socratem, non cujuslibet rhetoris, sed Isocratis ante oculos habuisse imaginem eamque ita expressisse, ut nomine addito non esset opus. Idem in dialogo qui Euthydemus inscribitur non facete magis quam acute et vere viri politici ejusdemque philosophi, quem utrumque se esse et existimabat et gloriabatur Isocrates, mores ingeniumque descripsit. Scio equidem, haud deesse qui Isocratem in fine Euthydemi significari et leniter perstringi negent; ejus tamen rei tam multa tamque manifesta indicia in Platonis inesse verbis mihi videntur, ut nemo Atheniensis vel Graecus, cui quidem utriusque in manibus essent scripta, quin ad Isocratem haec pertinerent, dubitare potuerit.

Narrat Crito obviam sibi factum esse hominem quemdam, quem sic describit: Erat *ἀνὴρ οἰόμενος πάνυ εἶναι σοφός, τούτων τις τῶν περὶ τοὺς λόγους τοὺς εἰς τὰ δικαστήρια δεινῶν* 1). Verba illa: *ἀνὴρ οἰόμενος πάνυ εἶναι σοφὸς* egregie in Isocratem quadrant, nam hunc sa-

1) 304 D.

pientissimum sibi visum esse, quae de se ipse praedicare solet declarant [1]). Sed haereat forsitan quis in verbis: τούτων τις τῶν περὶ τοὺς λόγους τοὺς εἰς τὰ δικαστήρια δεινῶν: quare primum monendum videtur, λόγους τοὺς εἰς τὰ δικαστήρια, i. e. judiciales orationes, philosophorum opponi disputationibus [2]); deinde, consulto verba ista a Critone posita esse, ut certum ex iis indicium capiat Socrates, quo a ceteris omnibus sapientissimum hunc distinguere et quis sit cognoscere possit, manifesto ex iis quae adduntur apparet. Crito enim a Socrate interrogatus, qualis sit ille homo, sitne ῥήτωρ τις, qui ipse causas dicat, an ποιητὴς τῶν λόγων οἷς οἱ ῥήτορες ἀγωνίζονται [3]), oratorem (ῥήτορα) esse negat nec unquam in judicium venisse credit, sed aliis eum orationes scribere solitum neque affirmat nec negat: ἐπαΐειν αὐτόν φασι περὶ τοῦ πράγματος, νὴ τὸν Δία, καὶ δεινὸν εἶναι καὶ δεινοὺς λόγους συντιθέναι [4]). Cur Crito refert quae ex aliis audivit, se autem orationes quas ille aliis conscripserit ne inspexisse quidem fatetur? Cur, quum a Socrate rogatur, sitne ille ποιητὴς τῶν λόγων οἷς οἱ ῥήτορες ἀγωνίζονται, non simpliciter aut affirmando aut negando respondet, sed tradere mavult quae ab aliis fando accepit? Nimirum ad aures suas permanasse significat rumorem illum qui de Isocrate spargebatur, quique Aristotelis aetate ita non exstinctus

---

1) IV. 3, 10, 14. V. 82. X. 1—14. XII. 9, 260. XV. 161, 258—275.

2) 304 E.

3) 305 B.

4) 305 C.

erat, ut is totos judicialium Isocratis orationum fasciculos circumferri contenderet. Jam quo consilio verba illa τούτων τις τῶν περὶ τοὺς λόγους τοὺς εἰς τὰ δικαστήρια δεινῶν a Platone scripta sint, apparet. Crito enim quum varia persequitur indicia, quibus hominem istum, quem nominare non vult, describat et quis sit ostendat, ad cetera, quae in quemlibet convenire rhetorem videri possint [1]), haec addit tria, quae non nisi in Isocratem cadant, primum: „nequaquam eum esse oratorem," id quod Isocrates assidue conqueri solebat; alterum: „eum numquam in judicium venisse," quae Isocratis maxima erat gloriatio [2]); postremo, id quod omnium clarissimum est indicium, eum se dicere lepide significat „quem *ferunt* (φασί) initio aliis orationes scribere solitum, deinde vero aliis scribere destitisse ac totum se ad artes componendas transtulisse [3])." „*Ferunt*, inquit, eum ἐπαΐειν περὶ τοῦ πράγματος:" etenim ipse Isocrates, quantum potuit, semper negavit se umquam περὶ τοὺς λόγους τοὺς δικανικοὺς γεγενημένον [4]).

Aut prorsus fallor aut causam hic deprehendimus gravissimam, cur Crito sapientem illum hominem περὶ τοὺς λόγους τοὺς εἰς τὰ δικαστήρια δεινόν esse dixerit. Nisi enim hoc indicium primo posuisset loco, cetera illa, quae tam apte hominem describunt, addendi non fuisset idoneus locus. Ac potuerat sane alia quaedam, quae

1) i. e. eum sapientissimum sibi videri et judiciales conscribendi orationes artem callere.

2) XV. 27, 28.

3) Aristot. apud Cic. Brut. 12.

4) XV. 37.

Isocrati sunt peculiaria, indicii loco afferre. Verum totius loci jocus et ludus in hoc praecipue positus est, quod ex re, cujus Isocratem pudebat poenitebatque, indicia petit, quibus breviter, apte, lepidissime sapientissimum hominem describat.

Socrates certe quidem, cognitis his indiciis, quem hominem Crito designare voluerit plane perspicit. „Non opus est, inquit, ut plura addas: *Ἤδη μανθάνω· περὶ τούτων* (de isto hominum genere) *καὶ αὐτὸς νῦν δὴ ἔμελλον λέγειν.*" Qualia autem sunt, quae de his dicit? Credas, philosophiae contemtores ab eo exagitatum iri; philosophos enim, teste Critone, satis acerbe sapiens noster insectatus erat, qui rogatus aliquando num concederet *χαρίεν γέ τι πρᾶγμα* esse philosophiam: *Ποῖον*, inquit, *χαρίεν, ὦ μακάριε*; philosophis enim *οὐδὲν μέλει ὅ τι ἂν λέγωσι, παντὸς δὲ ῥήματος ἀντέχονται . . . ληροῦσι καὶ περὶ οὐδενὸς ἀξίων ἀναξίαν σπουδὴν ποιοῦνται* [1]). Satis invidiose haec dicta sunt; itaque jure exspectes, e Socrate ea te auditurum quibus philosophiae tueatur dignitatem eamque ab imperitorum vindicet maledictis. Verum fallit te exspectatio. Socrates enim agnovit hominem; judicandum erit non de rhetore aliquo, philosophiam qui contemnit, sed de illo quem designavit Crito, i. e. de Isocrate. Hic autem contemnit ille quidem aliorum philosophiam, quippe quae *θαυματοποιία* [2]), *περιττολογία* [3]), *ψευδολογία* [4]) ei esse videatur;

---

1) 304 E. 305 A.
2) XV. 269.
3) Ibidem.
4) X. 1 sqq.

contendit ille quidem ceteros philosophos ληρεῖν [1]) et τῇ δόξῃ τῇ τῶν ὀνομάτων ἐπαγαγέσθαι discipulos εἰς τὴν αὑτῶν ὁμιλίαν [2]); sed idem sibi solus atque unicus philosophus esse videtur [3]), se pollicetur perducturum adolescentes quo ceteri eos perducere philosophi nequeant [4]), denique philosophum se profitetur eundemque virum πολιτικόν. Itaque Socrates, ubi cognovit hunc obviam factum Critoni, a rhetorum grege eum sejungit et de dicendi facultate, quae ei cum multis est communis, ne verbo quidem commemorat, de iis tantum exponit quae Isocratis propria sunt et peculiaria. Οὗτοι γάρ εἰσι μέν, inquit, οὓς ἔφη Πρόδικος μεθόρια φιλοσόφου τ' ἀνδρὸς καὶ πολιτικοῦ. Nec germani sunt philosophi nec germani viri politici, sed medium inter ambos tenent locum. Οἴονται δ' εἶναι πάντων σοφώτατοι ἀνθρώπων, πρὸς δὲ τῷ εἶναι καὶ δοκεῖν παρὰ πολλοῖς: philosophis autem obtrectant, quod hos obstare putant quominus ipsi omnino omnibus omnium sapientissimi esse videantur. Σοφοὶ δὲ ἡγοῦνται εἶναι πάνυ εἰκότως· μετρίως μὲν γὰρ φιλοσοφίας ἔχειν, μετρίως δὲ πολιτικῶν, πάνυ ἐξ εἰκότος λόγου· μετέχειν γὰρ ἀμφοτέρων ὅσον ἔδει, ἐκτὸς δ' ὄντες κινδύνων καὶ ἀγώνων καρποῦσθαι τὴν σοφίαν [5]). Quinam isti sint, qui ἐκτὸς ἀγώνων καὶ κινδύνων τὴν σοφίαν καρποῦνται, non opus est quaeramus. Athenis, opinor, etiam antequam Antidosin edi-

---

1) XV. 274.
2) XV. 85.
3) XV. 270 sqq.
4) XV. 274.
5) 305 C. D. E.

disset Isocrates, pervulgata erat res, hunc *ἀγαπᾶν τὴν ἡσυχίαν καὶ τὴν ἀπραγμοσύνην, ἐκτὸς ἀγώνων καὶ κινδύνων* placidam degere vitam [1]).

Quum satis demonstratum videatur, Platonem hoc loco talem describere hominem, qualis revera fuit Isocrates, restat ut de conjunctione muneris viri politici cum philosophiae professione eum audiamus judicantem. „Quaecumque, inquit, inter duo quaedam media sunt, et ex duobus ita conflata, ut utrumque naturam suam cum iis participet, haec, si ex malo et bono sunt composita, meliora sunt malo, bono deteriora, si ex duobus bonis, utroque sunt deteriora; neque vero umquam meliora sunt quam ambo illa ex quibus composita sunt, nisi utrumque per se spectatum sit malum. Jam vero non credo istos (i. e. homines qui se philosophos eosdemque viros politicos profitentur) concessuros esse, utrumque — *φιλοσοφίαν* et *πολιτικὴν πρᾶξιν* — esse malum, neque alterum bonum, malum alterum: restat igitur ut utrumque bonum esse contendant. Unde quid consequatur, jam nemo non videt: *Τῷ ὄντι οὗτοι ἀμφοτέρων μετέχοντες ἀμφοτέρων ἥττους εἰσὶ πρὸς ἑκάτερον, πρὸς ὃ ἥ τε πολιτικὴ καὶ ἡ φιλοσοφία ἀξίω λόγου ἐστόν, καὶ τρίτοι ὄντες τῇ ἀληθείᾳ ζητοῦσι πρῶτοι δοκεῖν εἶναι* [2]).

Rectene Plato argumenta concluserit, nunc non quaero. Concedendum hoc est philosophis, ut more suo atque alia ratione quam *ἰδιῶται* eadem dicant quae de plebe homines. Ceterum deductis quae philosophus

1) XV. 27, 28.

2) 306 A—D.

de qualibet rei alicujus cum altera conjunctione nos docet, haec relinquitur judicii summa: Isocratem, quum prima sequatur, vix in tertiis posse consistere; quum πολιτικὴν πρᾶξιν cum philosophia conjungat, nec bonum esse philosophum nec meliorem virum politicum. Haec autem quam vere a Platone dicta sint, jam non est quod demonstremus.

Plato quum in dialogo qui Σοφιστής inscribitur, quale sit animal istud, explorat, hospitem, quem cum Theaeteto inducit colloquentem, identidem exclamantem facit, δυσθηρευτὸν εἶναι τὸ θηρίον. Tandem vero ipsi et Theaeteto finis venationi faciendus videtur; itaque alterum rogat: Οὐκοῦν συνδήσομεν αὐτοῦ (Sophistae) τοὔνομα συμπλέξαντες ἀπὸ τελευτῆς ἐπ' ἀρχήν; — Πάνυ μὲν οὖν, inquit ille. Quae postquam dicta sunt, varia quibus ad describendum Sophistam usi sunt nomina colliguntur in unum, tum sic pergit ὁ ξένος: Ταύτης τῆς γενεᾶς τε καὶ αἵματος ὃς ἂν φῇ τὸν ὄντως σοφιστὴν εἶναι, τἀληθέστατα, ὡς ἔοικεν, ἐρεῖ. Cui alter, prospero gaudens venationis successu, respondet: Παντάπασι μὲν οὖν." — quae ultima dialogi sunt verba. Mihi quoque sive Isocratis expressi imaginem, sive vires me defecerunt vel fortasse, ipsius Isocratis secutus exemplum, hominem aliquem informavi qualis numquam fuit: horum quidquid est, nunc finis venationi faciendus videtur. Ac quoniam non defuturos existimo, quibus totam hanc disputationem perlegere longum videbitur, quod Plato in fine *Sophistae* fecit, ita facere conabor, ut quae fusius disputavi, intra paucarum paginarum

terminos contraham. Ceterum quum in quaestione, quae de Isocratis erat ingenio moribusque, enodanda ita versatus sim, ut paullum de via flectendo saepe in alias inciderem quaestiunculas, quae vinculo quodam cum illa essent conjunctae, has autem omnes recensere et longum sit neque ad rei caput pertineat, quae de controversiis Isocratem inter et ejus aequales et de aliis nonnullis rebus hic illic disputavi, in praesens silentio erunt praetermittenda, atque hoc unum mihi agendum, ut *hominis* ipsius imaginem paucis adumbrem. Itaque qualis fuisse homo, rhetor, philosophus, vir politicus mihi quidem Isocrates videatur, quam potero brevissime exponam.

Demonstravimus enim duas praesertim animi affectiones talem qualis fuit effecisse Isocratem: vitae placidae atque otiosae amorem cum gloriae studio et vanitate maxima conjunctum. Jam vero timidus qui est otiique et quietis amans, aliter fieri vix potest quin virtutem quidem pulcherrimam rem habeat atque utilissimam, quippe quae ipsum retineat, quominus committat aliquid cujus vel poeniteat eum vel in poenam incurrat, improbos autem in officio retineat, eoque ab aliorum ipsum defendat vi et injuriis; ceterum virtutis aliquanto pluris faciet eas partes, quae injustitiae et ἀκολασίᾳ oppositae σωφροσύνη et δικαιοσύνη vulgo vocantur, quam tertiam illam, quae in *agendo* tota est occupata cuique ἀνδρείαν nomen dederunt Graeci. Natura igitur Isocrates ad virtutem colendam optime erat conformatus; nec dubium est, quin virtutis eas quas dixi partes, non tam ob insitum boni et justi amorem quam propter σωφροσύνης et δικαιοσύνης

utilitatem, coluisset, etiamsi non alia, cur ita faceret, accessisset causa.

Alterum autem, quod virtutis non tantum studiosum, sed assiduum eum fecit laudatorem et praeconem, in Socratis positum est institutione et familiaritate. Quo natura duce pervenerat Isocrates, eodem philosophi tendebant decreta, nec de causa cur virtuti esset studendum inter utrumque fuit dissensio. Verum aliud est instigante natura virtuti studere, aliud philosophia duce sic faciendum esse sibi persuasum habere. Ut virtuti, quippe quae utilis ipsi res haberetur, studeret hujusque eas potissimum coleret partes quae non peccando magis quam agendo cernuntur, natura Isocratem impulit: quod bonum esset, id esse utile, quod utile esset, id homines reddere beatos, virtutem autem bonum esse atque idcirco et utilem esse et homines reddere beatos, postremo singulas virtutis partes tam arcto inter se contineri vinculo ut sejungi non possent, sed qui unam, is omnes haberet: haec ita esse, non indolis conformatio quaedam, sed Socratica philosophia Isocratem docuit. Quodsi Socratem numquam audivisset, procul dubio homo fuisset probus, qui nec ipse aliis negotia facesseret, et, quantum posset, τῷ ἀναμαρτήτως ζῆν ab aliorum sibi caveret injuriis. Nunc autem Socrates ei persuasit, non ipsi tantum, sed omnibus omnia esse in virtute posita, hanc non tantum improbitate esse utiliorem, sed utilissimam, quum ad summam conducat beatitudinem. Quae a Socrate accepit, ea, quoties offertur occasio, aliis impertit; virtutis alacrem praeconem ceteris se praebet; Euagorae, Theseo, quos viros ad coelum effert laudando, ἀρετὴν καὶ τὰ μέρη

ταύτης vel πάσας τὰς ἀρετὰς tribuit; ceterum naturam, licet furca expellas, tamen usque redire, in hoc ostendit, quod totam virtutem atque omnes ejus partes laudat ille quidem, sed non omnes, nullo discrimine facto, commendat: ad σωφροσύνην enim et δικαιοσύνην frequenter adhortatur Athenienses; ἀνδρείαν, quamquam ad hanc quoque eos impellere haudquaquam supervacuum fuerat opus, ceterasque, si quae sunt, virtutis partes quae *agendo* cernuntur, non tanti esse censet, ut eorum in suasionibus suis injiciat mentionem.

Socrates non tantum *virtutem* propter utilitatem colendam, sed et in rerum cognitione et in omnibus, quaecunque facerent agerentque homines, utilitatis rationem habendam esse censebat. Quo praeiit magister, discipulus secutus est, seu potius sequi se credidit. Nam utilitatem semper in ore habet; utilitatis ad normam suum de aliis sophistis, philosophis, viris politicis judicium dirigit. Quum de sua ipsius loquitur institutione, de rebus argumentisque quae, ceteris rejectis, tractanda sibi sumsit, de philosophia quam profitetur, de consiliis quae vel Atheniensibus vel cunctis impertit Graecis, ea ab utilitate praecipue se commendare fidenter affirmat. Idem vero, quum de aliis judicat et eorum studia tanquam inutilia spernenda esse contendit, pro argumentis utitur fere conviciis et maledictis: ληροῦντες sunt quicumque ab eo dissentiant. De se autem et de suis quum loquitur studiis, non praestantia tantum, sed perfecta paene atque omnibus numeris absoluta sibi videri quaecunque ipse cogitet, scribat, agat, haud obscure significat. Qui tali modo de se et de aliis judicium faciat, vanissimum esse hominem jure exi-

stimes. Quodsi paullum progrediaris et fierine potuerit quaeras, ut tam vanus, tam sui amans homo *recte* de se et de aliis judicaret, quum praesertim alii illi ipsius aemuli essent et competitores, haud dubium est, quin quaerendo rem acu tetigeris. Nam indolis vitio isto factum est, ut Isocrates gravissimum Socratis decretum de *utilitate*, cujus ad normam omne judicium studiumque esset dirigendum, non rejecerit ille quidem, sed immutaverit prorsus et detorserit. „Quae utilia, probanda sunt et sequenda, improbanda et spernenda inutilia:" hoc Socrates docuit, decantat hoc magistri praeceptum discipulus. Hic vero tam vehementer se suaque diligit et admiratur, ut non dubitet, quin utilia sint quaecumque ipse agat vel ad ipsum pertineant, cetera inutilia prorsus et spernenda.

Hinc assiduum illud ceteros sophistas vituperandi et carpendi studium; hinc fit, ut omnia sibi assumat, nec satis habeat rhetorem se profiteri, sed in aliorum invadat regnum, se unum philosophi et politici nomine dignum sibi videri virum, haud tecte significet. Vidimus autem, quid ex tali diversarum artium conjunctione effectum sit. Nam primum e rhetoris cum philosopho seu virtutis magistro conjunctione effectus est Gorgias ille bifrons, quem merito Plato exagitat. Socraticae memor disciplinae ad virtutem cives adhortatur Isocrates; se juvenibus praecepturum, ὅ τι πρακτέον ἢ λεκτέον ἐστίν, se pollicetur facturum quod ceteri facere nequeant, ut improbos, qui ipsi se in disciplinam tradant, si non probos, at aliquanto reddat meliores (XV. 274.). Philosophi haec ex ipsius sententia provincia est (XV. 270.). Sed qui

philosophus, idem germanissimus est rhetor et vanissimus: *οὕτως εἰπεῖν* se velle asseverat *ὡς οὐδεὶς ἂν ἄλλος δύναιτο*; ceteris cupit se longe praestare sophistis. Rhetoris autem sunt haec: *μειώσεις* et *αὐξήσεις*, *τὸ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν*, reliqua, quae magni Athenis aestimabantur, *λόγων μουσεῖα*. Qui ad virtutem impellit, idem artificiis istis, artem ut ostentet suam, largiter utitur; ad aurium scribit voluptatem, itaque quotquot sunt adhibet orationis lumina, quae *θορυβεῖν*, applaudere cogant auditores. *Μείωσις* quid sit et *αὔξησις*, se omnium optime intelligere ostensurus est: itaque Polycratem docet, quomodo nequissimus ille homo, Busiris, laudandus sit [1]); prouti orationis fert consilium, Helenam nunc Deorum refert in numerum, nunc mulierculam aliquam fuisse contendit, quae nequaquam tanti belli sustineat causam [2]). Artem suam *persuadendi* esse opificem existimat rhetor; quo ut perveniat, hoc tanquam proprium sibi sumit, ut liceat *τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν*. Ne hac quidem in parte ceteris cedendum sibi censet rhetor noster idemque virtutis praeceptor. Dehortatus est olim Athenienses, ne amplius maritimum affectarent imperium: id enim insolentes eos reddidisse et injustos, in insolentia autem et injustitia omnium malorum originem et causam esse positam. Aliquanto post hoc sibi proponit, ut cum Lacedaemoniorum in Graecos meritis Atheniensium comparet beneficia, haec illis multo et plura fuisse et majora demonstret. Iterum de maritimo lo-

1) Vid. prooemium Buriridis.

2) Vid. supra p. 86 sqq.

quitur imperio, verum aliud est orationis consilium: laudandi sunt quos olim reprehendit; itaque prudenter fecisse majores affirmat, qui justitiae injustitiam praetulerint: data enim optione utrum injustus et dives an justus et inops esse malis, stultissimum te esse, ni opes justitiae praeferas. At paullo post idem contendit, in justitia omnia esse posita, nec quidquam bonum vel pulchrum esse, nisi justum sit idem. In eadem oratione acerrime perstringit quos antea semper admiratus est et laudavit, Spartiatas. Ne vero male de iis existimare videatur, in fine orationis se suo, rhetoris, jure usum tot tantaque iis objecisse crimina affirmat: rhetoris enim esse *ποικιλίας* et *ψευδολογίας*, neque vero fieri posse, quin talium rerum prudentes sub carpentis specie sincerum Lacedaemonios laudandi studium latere videant [1]. Quid multa? In hunc hominem, rhetorem qui se profitetur eundemque philosophum, virtutis et auctorem et praeceptorem, aptissime Platonis haec quadrant verba: Ἡ *κολακευτική* — *προσποιεῖται εἶναι τοῦτο ὅπερ ὑπέδυ* (i. e. justitiam), *καὶ τοῦ μὲν βελτίστου οὐδὲν φροντίζει, τῷ δ' ἀεὶ ἡδίστῳ θηρεύεται τὴν ἄνοιαν.* — Ἵν' *οὖν μὴ μακρολογῶ* — *ὃ ὀψοποιικὴ πρὸς ἰατρικήν, τοῦτο ῥητορικὴ πρὸς δικαιοσύνην.* (Gorg. 464 c. 465 c.).

Ceterum vix est quod moneam, Isocrati aeque ac Platoni licuisse, eam voci philosophiae subjicere notionem, quae ipsi maxime placeret. Itaque in hoc non reprehendendus est, quod philosophum se profitetur: philosophiam enim in universum intelligit ingenii cul-

---

1) Vid. supra p. 87 sqq.

turam et institutionem talem, quae juvenum excolit mentes; neque igitur hoc ei vitio vertendum, quod rhetoricen appellat philosophiam. Hanc vero ob causam merito in Platonis incurrere mihi videtur acerrimam reprehensionem, quod philosophiae gravissimam partem, quae in docendo τί ποιητέον καὶ λεκτέον versatur, Platoni et philosophis demit, sibi vindicat uni; dein vero tam male suscepto munere fungitur, ut coquum esse et turpem adulatorem, qui medicum se et justitiae simulat praeceptorem et praeconem, verissimum sit celeberrimi virtutis doctoris de vano hoc rhetore judicium.

Quum ad duas illas artes, rhetoricen, dico, et philosophiam, tertiam adjunxerit Isocrates τὴν πολιτικὴν ἐπιστήμην, qualis fuerit vir politicus, nunc paucis est explicandum.

Satis graves erant causae, cur rerum conditio, qualis erat ejus aetate, valde ei displiceret. Illorum recordatio temporum, quibus Periclis secuti consilia longe lateque imperium exercuerant Athenienses, afflictae fractaeque bello Peloponnesiaco reipublicae opes, patris sui eodem bello amissae facultates, Graecorum discordia et inimicitiae, populare quod tum vigebat imperium et, quae hinc consecuta est, civium suorum effrenata licentia, — haec omnia fieri non poterat quin valde displicerent homini Periclea nato aetate, quietis otiique amanti, timido atque a plebis sibi metuenti licentia, Socratis denique discipulo, ob utilitatem colenti σωφροσύνην et δικαιοσύνην. Aegrotanti autem ut mederi conaretur reipublicae, utque Atheniensibus et cunctae Graeciae ea impertiret consilia, unde salus

ventura ipsi videbatur, patriae monebat caritas, impellebat gloriae, quae hinc in ipsum redundatura esset, studium cum vanitate et sui fiducia, cui nil arduum videtur, conjunctum. Quum vero vox ei deesset et animus, pro concione verba facere non est ausus, ad scriptiones confugit: *λόγους* edidit *πολιτικοὺς καὶ Ἑλληνικούς*, itaque viri politici munus cum rhetoris conjunxit partibus. Atque altero, i. e. rhetoris, munere optime eum functum esse eoque in maximam et aequalium et posterorum venisse admirationem, non est quod moneamus. Altero autem, viri politici, munere quominus rite fungeretur, ipsa quam profitebatur ars rhetorica et indoles ejus ac vitae ratio obstabant. Nam quod ad prius attinet, qui ejus suasiones audiebant vel legebant, ex rhetoris officina haec profecta esse probe erant memores; itaque delectari se cupiebant, ceterum ad rerum veritatem, opportunitatem consiliorum non magnopere animum attendebant, quippe qui sic haberent, ad aurium voluptatem, non ad persuasionem, talia scripta esse.

Quodsi salutaria, ad homines et tempora accommodata fuissent quae e rhetoris officina emittebantur consilia, admodum sane dolendum esset quod irrita hanc ob causam fuissent, quia sophistae olerent lucernam. Verum tantum abest, ut salutaria dicenda sint, ut inutilia et futilia prorsus appellari merito possint; nisi forte quis contendat hanc esse eorum utilitatem, quod probent multum interesse verba inter et facta; fieri posse ut qui utilitatem assidue laudet et in ore habeat, idem quid revera sit utile, plane ignoret. Supra jam monuimus, Isocratem Socratis de utilitate

decretum sic detorsisse, ut utilia esse ea tantum existimaret quae ipsi placerent; addendum fuerat, hoc etiam ei persuasum fuisse, quod per se spectatum utile esset, τὸ ὠφέλιμον, id et semper esse utile et omnibus utile esse hominibus. Qualis temporum quibus vivebet esset ratio, qualis hominum quibus persuadere cupiebat indoles et studia, denique quid fieri posset, non quaerebat. „Pax, dicit, potior est bello: quodsi Graeci bello abstinere nequeunt, in aliena praestat id geri terra quam in patria nostra: Graecorum concordia inimicitiis, quas nunc inter se exercent, longe est anteponenda; honestas improbitate multo utilior est et optabilior: majorum πολιτεία probos reddebat cives, ἀκολασίας et ὕβρεως causa est ea qua nos utimur: itaque utra praeferenda sit, dubium esse non potest. Quae cum ita sint, pacis et concordiae et belli Persis inferendi et antiquae majorum virtutis et πολιτείας revocandae auctores simus, suasores, praecones." Hac mente aggreditur ad scribendum.

Qui publica caret luce, intra domus et scholae se continet parietes, is facile adducetur ut perverse de aequalibus suis judicet, homines sibi fingat tales, quales non sint illi quidem, sed tamen quales esse oporteat ut persuadere iis possit. Qui remotus a republica, a concionum turba et strepitu aetatem agit, is facile sibi de eloquentiae suae vi et efficacitate persuadebit, etiamsi Isocrate minus aliquanto sit vanus. Germanissimus qui est rhetor et celeberrimus, ex artis suae assidua exercitatione et admiratione hanc ducet opinionem, neminem esse, qui extenuandi et exaggerandi ceterisque orationis resistere possit lenociniis;

vincet omnia ἡ τοῦ λόγου δύναμις. Quid multa? In Isocratem haec cadunt omnia. Hic non ad homines et tempora accommodare sua studet consilia, sed res, homines, tempora secundum Socratis decreta ac suam ipsius libidinem immutare et transformare conatur. Hic fieri posse sibi persuadet quaecunque optat: ergo quid fieri possit, non quaerit. Huic utilissima sua videntur consilia, nec tamen secum reputat, utilia ea tantum esse, quae perficere possis. Quae cum ita sint, asseverare non dubito, rhetorem qui virum se profiteretur politicum, imparem prorsus huic fuisse muneri, eumque summo jure a Platone appellari μεθόριον φιλοσόφου τε ἀνδρὸς καὶ πολιτικοῦ, qui nec bonus sit sit philosophus nec prudens vir politicus. (Euthyd. 305. 306).

Haec fere sunt, quae de Isocrate monenda mihi videbantur; ceterum verane sint necne quae disputavi, penes alios sit judicium. Profecto difficile est opus, hominis alicujus perscrutari animum, ejus adumbrare ingenium, mores, studia. Verendum est enim, ne aut durius aut lenius quam par est de eo facias judicium; quod eo facilius accidit, quo remotior sit ejus aetas ab iis quibus ipse vivas temporibus. Equidem, ut hoc evitarem periculum, quantum potui, ad docti Platonis, Isocratis aequalis, judicium direxi meum. Quin nunc etiam lubet pro epilogo his uti philosophi verbis, quae absque dubio ad Isocratem, τὸ μεθόριον φιλοσόφου τε ἀνδρὸς καὶ πολιτικοῦ, pertinent:

Συγγιγνώσκειν μὲν οὖν αὐτοῖς (i. e. rhetoribus, qui philosophos se eosdemque viros politicos profitentur) *χρὴ τῆς ἐπιθυμίας καὶ μὴ χαλεπαίνειν, ἡγεῖσθαι μέντοι τοιούτους εἶναι οἷοί εἰσι· πάντα γὰρ ἄνδρα χρὴ ἀγαπᾶν, ὅστις καὶ ὁτιοῦν λέγει ἐχόμενον φρονήσεως πρᾶγμα καὶ ἀνδρείως ἐπεξιὼν διαπονεῖται.* (Euthyd. 306 C.)



THESES.

I.

Isocrates Socratis fuit auditor.

II.

Socratis accusator, contra quem Xenophon in *Memorabilibus* eum defendit, neque Meletus fuit neque Anytus neque Lyco, sed Polycrates sophista.

III.

Aristophanes, quo tempore *Nubes* composuit, aut nescivit aut scire parum curavit, qualis homo Socrates revera esset.

IV.

Non constitit sibi Socrates, quum virtutem σοφίαν esse atque διδακτόν doceret idemque praeter σοφίαν etiam φύσιν et μελέτην ad virtutem necessaria existimaret.

V.

Isocrates, quorsum Socratica tenderet doctrina quum non probe intelligeret, Socratis de virtute, utilitate, beatitudine placita immutavit et detorsit.

VI.

Minus recte Halbertsma (*Quaestt. Isocr.* in *Mnemos.* 1855, p. 218.) e Strattidis in *Atalante* (apud Athen.

p. 592.) Isocratem *αὐλοτρύπην* appellantis joco effecit, Isocratem paternum exercuisse quaestum.

VII.

Falsum est et ex Isocratis verbis non intellectis effectum, quod Pseudo-plutarchus in vita ejus narrat: Isocratem a nemine cive mercedem poposcisse.

VIII.

Nequaquam credendum arbitror Isocrati demonstrare conanti (*Orat.* XV. 33—42.), se numquam judiciales orationes scripsisse.

IX.

Jure Sauppius (*Zeitschr. f. Alterth.* 1835, p. 404.) de Isocrate sic judicat: „Nur was er denkt und will, ist Lobes und Strebens werth, was ihm zu erreichen unmöglich ist, ist werthlos und unnütz."

X.

In Platonis *Gorgia* sub hujus sophistae persona latet Isocrates.

XI.

Valde probabilis est Bakii conjectura: „eandem artium distributionem, quam in Antidosi exhibuit Isocrates (XV. 181.), positam fuisse in oratione adversus sophistas, indeque excerptam exstare in Antidosi (*Schol. Hypomn.* III. p. 45.).

XII.

Non assentior Ciceroni, ex iis quae Plato in fine *Phaedri* Socratem de Isocrate dicentem facit efficienti: „illum omnium rhetorum exagitatorem hunc unum *mirari*." (Cic. Or. 41.).

XIII.

Multo probabilior est eorum opinio, qui „conditione

adjecta mirifice temperari" existimant, „quas Plato illi tribuit laudes, atque ejus verba ne plenam quidem laudationem sine gravi admixta reprehensione continere" (Geel. *de Stesichori Palin.* in *Rhein. Mus.* 1839. p. 9.).

XIV.

In Platonis *Phaedri* 279 A.: ἔτι τε εἰ αὐτῷ μὴ ἀποχρήσαι ταῦτα — lectioni codicum Bekkeri εἴτε εἰ vulgata lectio praeferenda est.

XV.

Parum recte Cicero affirmat, Isocratem in elaborandis scriptionibus nil aliud sibi proposuisse, nisi „ut ad voluptatem aurium scriberet." (*Orat.* 38.).

XVI.

Rhetoris rhetorem stulte admirantis sunt verba, quae de Isocrate scripsit Dionysius Hal.: καὶ ἔγωγέ φημι χρῆναι τοὺς μέλλοντας οὐχὶ μέρος τι τῆς πολιτικῆς δυνάμεως ἀλλ' ὅλην αὐτὴν κτήσασθαι, τοῦτον ἔχειν τὸν ῥήτορα διὰ χειρός. (*Jud. de Isocr.* §. 4.).

XVII.

Ad Platonis pertinent irrisionem haec Isocratis verba: Ὁμοίως οἱ τοιοῦτοι τῶν λόγων ἄκυροι τυγχάνουσιν ὄντες τοῖς νόμοις καὶ ταῖς πολιτείαις ταῖς ὑπὸ τῶν σοφιστῶν γεγραμμέναις (*Orat.* V. 12.).

XVIII.

Ipse Isocrates, aeque ac πολιτειῶν et νόμων scriptores illi quos perstringit, scripsit et suasit talia, quae non possent non esse ἄκυρα.

XIX.

Dubitari vix potest, quin Plato in fine *Euthydemi* (304 D.—306 D.) Isocratem describere et exagitare voluerit.

XX.

Falso Livius contendit (VI, 1.), usque ad captam a Gallis urbem incerta omnia, clariora autem certioraque esse quae post captam a Gallis Romam domi militaeque gesta sint.

XXI.

Cic. *de Fin.* III. 6, 22: „Ut enim, si cui propositum sit collineare hastam aliquo aut sagittam, sicut nos ultimum in bonis dicimus, sic illi facere omnia quae possit, ut collineet:" recte emendavit vulgatam lectionem Madvigius scribendo „sic nos ultimum im bonis dicimus," omissis reliquis.

XXII.

„Natura libertatis moralis proprie consistit in antecedenti immunitate a quavis necessitate, qua indifferentia ad electionem tollatur inter duos aut plures terminos sive diversos sive oppositos sive contrarios, si de homine viatore agatur." (Perrone.)

XXIII.

Xenophon initio libri tertii *Hellenicorum* consulto Anabasin Themistogeni auctori tribuit.

XXIV.

Non vera sunt quae Hooftius narrat, Academiae Lugdunensis originem repetendam esse ex eligendi optione a Principe Guilielmo I post liberatam ab Hispanis urbem civibus Lugdunensibus data, utrum Academiam in urbe sua condi an vectigalium immunitatem in aliquot annos sibi dari mallent.

XXV.

Vocabulo *granje*, quod ter apud poëtas nostrates exstat, satietatis seu desiderii expleti inest notio.

Hooft, *Warenar:*

„Quamen ze in myn presency, zy kregen *de granjen.*"

(i. e., *darem iis quantum vellent; cogerem eos mihi cedere loco.*)

Brederoô, *Moortje:*

„Doe Lysbet Fockels my vernam, seyse: Koopman,
ick *gheef* je schier *de granje.*"

(i. e. parum abest quin *gratis* tibi dem *quicquid vis*, seu *quantum lubet.*)

J. Vos, *Robbert Leverworst:*

„Waer sou 'k heen willen, 'k wil *men granje* soecken —

(i. e. *quaeram id quod cupio, quo desiderium meum expleatur; injuriam ulciscar illatam.*)

XXVI.

Iniquissimum est de Vondelii carminibus satyricis judicium, quod Witsen Geysbeek effert his verbis: „Vondel heeft eigenlijk geen enkel hekeldicht gemaakt, want bijkans geen der stukken, die men onder zijne werken in deze rubriek geplaatst heeft, kan dezen naam dragen, ten minste in onzen tijd niet; zulke dingen noemt men thans paskwillen, en zij strekken hunner vervaardigers zelden tot eer." (*Woordenb. der Nederd. dichters*, VII. p. 300.)


ERRATA.

Pag.	2.	Areopagit erklaerticus	lege :	Areopagiticus erklaert.
„	3.	Mecr.	lege :	Mem.
„	7.	vnlg.	„	vulg.
„	16.	ἐπιμελέιᾳ	„	ἐπιμελείᾳ
„	32.	ἐξελελεχμένης	„	ἐξεληλεγμένης
„	36.	probalitate	„	probabilitate
„	43.	elucubrandum	„	elucubrandam.
„	55.	pauperitate	„	paupertate
„	56.	πατίδι	„	πατρίδι
„	59.	recordutus	„	recordatus
„	62.	τῷν	„	τῶν
„	82.	εἰώδς	„	εἰδώς
„	103.	jucundissime	„	jucundissima
„	103.	Euxagoras	„	Euagoras
„	109.	αὐτῳ	„	αὐτῷ
„	119.	nnmeris	„	numeris
„	128.	scribat	„	scribit
„	136.	πραγματων	„	πραγμάτων
„	150.	nobls	„	nobis
„	154.	ommnibus	„	omnibus
„	167.	ἀδύνατοις	„	ἀδυνάτοις
„	178.	videbantur	„	videantur
„	183.	opus est	„	opus est ut
„	195.	sit sit	„	sit
„	200.	militaeque	„	militiaeque








LIBRARY OF CONGRESS
0 003 046 177 0